

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



AD E M
In V. & N. T. Salvandi

M O D U S

Jussu & auctoritate

Reverendissimæ Facult. Theologicæ

in Academia Lipsiensi

PRO

SOLENNITATE DOCTORALI

ex

Concilio I. Hierosolymis celebrato

Act. XV, vers. II.

deductus

à

GEORGIO Lehmannen Belge-

rano, SS. Theol. Licent. Past. & Superint. Weissenfels,

nec non Gymnasii Augusti Inspectore.

D. XXIV. April. M. DC. LXVI.

L I P S I Æ ,

Typis JOH. WITTIGAU,

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS, AC DOMINI,

DN. AUGUSTI,

Administratoris Archiepiscop. Magdeburgici &c.
Ducis Saxoniae, Jul. Cliv. ac Mont. &c,
In Dicasterio Provinciarum Hæreditariarum,
Præsidi Eminentissimo

V I R O

Generoso atq; Magnifico

Domino

GEORGIO DIETERICO

à Rondeck/ Consiliario intimo, nec non Princi-
patus Saxo - Querfurtensis Præsecto Su-
premo,

ut &

Cæteris Consiliariis Nobilissimis,

V I R I S

*Strenuâ Generositate, Magnificâ autoritate, rerumq; magna-
rum usu conspicuis,*

Dn. JOHANNI CHRISTOPHORO Herold/ JCro
Excellentissimo,

Dn. WILHELMO à Rospoth in Wölffs- &
Seubendorff Toparchæ,

Dn. MAURITIO CHRISTOPHORO à Schönberg
in Querswalda Hæreditario,

Dn. ADAMO SAMUELI Freystein JCro Cele-
berrimo, in Illustri Gymnasio Augusto Prof.
Juris Publ.

FELICITATEM.

Duo Fulcra, benè constitutæ Reipublicæ esse, *Pie-
tatem & Justitiam*, loquitur Orbis omnis. Illam
illibatam accepit à Majoribus suis, Serenissimus
Princeps ac Dominus noster clementissimus, **AUGU-
STUS**, verè Augustus, conservaturus eandem, per **DEI**
gratiam, sub nomine Lutherano, sine ullâ labe, qua-
lem quidem præsens vita effugere potest, ad supre-
mum usque halitum. Hanc itidem intemeratam tenet,
per manus quasi traditam, à gloriosissimæ memoriæ
Parente, Domino Electore Saxonæ **JOHANNE
GEORGIO I.** administratam hætenus quidem,
quoad fas fuit, Halæ Saxonum; nunc porrò, quod
DEUS bene vortat, candide administrandam apud
Candidam nostram Petram, per Vos, Viri Eminentissi-
mi, quorum Nomina jamdudum & Pietas & Justitia
in delitiis habet. Enimverò ex harum Virtutum tri-
pudiis, non solistimis aut soniviis, auguratur sibi opti-
ma quæque *Leucopetra* nostra; quippe vel tandem
restituenda pristino nitore, quem si unquam, certè olim
sub Pientissimi, Justissimi ac Felicissimi Principis, Au-
gustæ memoriæ, **AUGUSTI** Electoris imperio *et an-
nū* possedit. Bona, si **DEUS** voluerit, scæva! bonum
omnem! bonum auspiciū! Nomen Principis idem,
idem Virtutum chorus, eadem felicitas! Repetitur
proinde jure merito illud Nasonis; Augeat imperium
nostri Ducis, augeat annos, augeat & nostram Gratia
dia Petram! Vestris, *Patroni Magni*, Consiliis labori-
busque sociatis, feliciter succedent cuncta, duce Pie-
tate;

tate, comite Justitia, quam utramque amoena Pacis
quies suaviter, per omnes hos & Posteritatis annos,
complectetur. Nec id quidem sine vestro emolu-
mento. Vos enim redhostimenti loco divinum sen-
tietis favorem, sentietis gratiam, sentietis benedictio-
nem, quæ Corpus, quæ Animam. Vivetis sospites, feli-
ces, longævi ad canam Senectutem, constituti in eâ,
quæ pollent Consilarii apud Principes & subditos,
autoritate; donec rerum humanarum pertæsi, quæ
pii & Christiani hominis vota sunt, ea in æternitate
possideatis. Ita ut fiat ego, cum omnibus bonis, Cœ-
lum sollicitaturus sum indefesso studio, hoc interim
suspendens, mei erga Vos cultus & observantiæ mo-
numentum levidense, chartaceum; quod ne Vestro
aspectu indignum judicetis, animus, unde profectum
est, ea vovet, & precatur Vobis, quæ pereuntibus char-
taceis & metallinis perennant sempiterna. Scrib.
Leucopetræ die XX. Aprilis, Anno recuperatæ Salu-
tis M. DC. LXVI.

L. Georgius Lehmann



Feliciter!



Nsigniter animum nostrum in Religionis negotio confirmari certum est, Si illud *Augustini super Job. Serm. 45.* demonstratur; ante *Adventum Christi* precesserunt *justi, credentes, sic eum venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata sunt, non Fides, nos credimus Christum ex Virgine venisse, in carne passum esse, resurrexisse, in cælum ascendisse. Illi crediderunt nasciturum, passurum, resurrecturum, in cælum ascensurum. Quis enim se aberraturum esse ab eo, quo omnes collimamus, Scopo, opinetur, si eâ Viâ, quâ ab initio mundi inceserunt credentes ad unum omnes, per DEI gratiam inceserit? Ex unico Jobi exemplo colligit laudatus Hipponensium Episcopus L. 18. de Civit. DEI ad Marcell. c. 47. non tantum ex Judæis, sed etiam ex gentibus ad Spiritualem Hierosolymam pertinuisse, quicumque in Messiam crediderunt; Divinitus, inquit, provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno [Jobo] Sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum DEUM vixerunt, eiq; placuerunt, pertinentes ad Spiritualem Hierusalem, quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus, qui venturus in carne, sic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademq; fides per ipsum omnes in DEI civitatem, in domum DEI, in DEI templum predestinatos perducatur ad DEUM. Et nos, qui nubem testium circa nos habemus Hebr. XII. dubitemus, utrum fide in Jesum Christum salutem simus consecuturi æternam? Producamus in theatrum omnes omninò sive V. sive N. T. credentes, & quid Concilium Apostolicum de iis statuerit, paulisper disquiramus, dispe-*

A ream,

ream, si non omnes, quotquot unquam salvati sunt, fide per gratiam Jesu Christi Salvatos fuisse constiterit. Rhodus nobis jam hic erit, hic saltabimus, non quidem insolentiùs, ac si fides nostra alibi non extaret, sed jussu Superiorum, chorago Spiritu Sancto, cujus ductu in Nomine JESU sit

CAPUT I.

Textum cum Scopo & succinctâ analysi
continens.

Act. XV. vers. ii.

Ἀλλὰ διὰ τῆς χάριτος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὅν τρόπον καὶ αὐτοὶ.

Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.



Copum rei propositæ cominùs intuituris nobis, ab ovo, quod ajunt, ad mala procedendum est, dicendumque, contineri in præcedentibus disceptationem, Antiochiæ ortam, de Circumcisione, totiusq; Legis Mosaicæ observatione, utrum & hæc & ista necessaria sit homini salvando? affirmante una parte, negante alterâ, res delata est ad Apostolos & Presbyteros Hierosolymam. Serrâ contentionis inibi magis magisque tractâ, ab iis, qui ex hæresi Phariseorum conversi erant, Concilio convocato, ut dispiceretur de hoc negotio, Petrus tandem Spiritus S. ductu controversiam omnem dirimit, prolato non tantùm Ethnicorum conversorum exemplo, quorum corda fide, nullo habito discrimine purificasset Deus; Sed etiam addita decisione, non tentandum esse Deum, imponendo ἀβάσαντον Legis Mosaicæ jugum Discipulorum cervici; Sed sic omninò statuendum esse; *Credentes in Veteri Testamento ad unum omnes per gratiam Domini nostri JESU Christi salvatos esse.* Quo ergò modo ipsi; eodem & nos in Novo Testamento; quorum eadem est ratio, & quidem eò melior, quò certius per Christum liberati sumus à Lege Gal III, 13. Rom. X, 4.

Opposita igitur est hæc sententia *JUSTITIARIIS*, qui per observationem Legis salvari posse disceptabant, per adversativam par-

particulam *Ἀλλὰ*, quam quidem Beza vertit *imò*, ac si esset *μενδύ- γε*, quin potius, quæ loquendi formula, iudice Erasmo, nec negat, quod dictum, nec affirmat; Sed certius quid infert Luc. XI, 24. nisi fortè respexerit ad loca Joh. XVI, 2. II. Cor. VII, 11. ubi *ἀλλὰ* affirmativè usurpatur. Verùm hæc acceptio hoc loco alienior est, vim textui non levem inferens, quippe qui diversissima opponit, *falsum* scilicet fictitiumque, in legis observatione positum, ac prorsus repudian- dum; & *verum*, à DEO ab initio mundi intentum & constitutum *Sal- vandi modum per gratiam*.

Διὰ χάριτος ἑκείνου Ἰησοῦ Χριστοῦ.] vocabulum *χάριτος* de Deo usurpatum ex numero eorum est, quæ *πολλαχῶς* dicuntur, cu- jus acceptio, cum etiam juxta Albertum Pighium hominem Pon- tificium I. s. delibero arb. non ex scholis, sed ex Scriptura petenda sit, etiam hanc tanquam filium Ariadnæum sequemur.

Et I. quidem seu *primariò*, fatente id Thoma de Aquino, signi- ficat *Gratia* benevolam Dei *affectum*, seu planè indebitum favorem, *tàm generalem illum* & impromeritum, quo nobis ob peccatum da- mnationis æternæ reis benè vult Deus, unde etiam misericordia dici- tur, *ὁ καὶ τὸ ἔλεος*. Tit. III, 5. Luc. I, 5. & 54. it: *ἀπλάγχνα ἐλέος ἑοῦ* v. 78. it: *ἀγάπη εἰς ἡμᾶς*, Rom. V, 8. *Φιλανθρωπία καὶ χρισότης ἑοῦ*, quæ fons & origo est omnium beneficiorum, & imprimis quod ipse de suo nos reconciliandi medium, Christi nempe meritum ejusque intercessionem, ordinare voluit; quò collimat elegantissimus Bern- hardi apologus *Serm. I. de annunc. Mariæ*, de Veritate & Justitia DEI, hominem lapsam ad pœnam poscentibus, cui subvenerunt aliæ col- lactaneæ, videlicet pax & misericordia, paternum Dei animum mo- ventes, ut parceret, fieretque Justitiæ placandæ gratiâ, mors bona, quam passus est filius Dei, eâque benevolentiam Dei magis magisque provocavit; *quàm Specialem* seu illam ipsam benevolentiam divi- nam meritò Christi provocatam, ut scilicet Deus omnibus modis mediisque universum genus humanum ad participationem gratiæ vitæque æternæ deducere, nec quenquam perire velit, I. Pet. III, 9. I. Tim. II, 4. Conf. Eph. I, 4, 5, 6, 7. I. Joh. II, 6. Joh. XIV, 6. Rom. III, 24.

2. Notat *affectum cum effectu*, seu actualem gratiæ divinæ dispen- sationem, sive mediorum salutis communicationem, quæ fit per mo- dum motuum, sive transeuntium, sive permanentium, vel etiam for-

formarum noviter introductarum, hominiquè assistentium, possetque hæc, nempe dispensatio gratiæ divinæ jure suo, nisi abusus papisticus obstaret, *gratia gratis data*, respectu gratiæ gratis dantis nominari, quam ipsam, tanquam causam suam proximam, quia alii effectus peculiare consequuntur, varia scilicet Charismata, veniunt & hæc

3. Sicuti omnia beneficia divina metonymicè nomine *χάριτος*. Vid. D. Hülfem: diatribe scholastica de Auxil: gratiæ Cap: II. th. XIII. seq. ubi ex dictis Rom: XII, 6. V, 15. I. Cor: IV, 5. Phil: I, 24. Eph: III, 7. 8. accuratè distinguitur 1. inter *favorem DEI* seu gratiam gratis dantem, 2. *effectum favoris* divini proximum, seu gratiam gratis datam, & 3. *Charismata*, quæ tanquam alii effectus à gratiâ gratis datâ proficiscuntur. Confer I. Cor: XII, 1. 4. seqq. de distinctionibus τῶν χαρισμάτων, διακονῶν καὶ ἐνεργημάτων.

Hoc verò ipsum, quod de gratiâ & favore DEI Triunius, vel etiam DEI Patris dictum est, impræsentiarum accommodari oportet ad *gratiam Domini nostri Jesu Christi*, ita, ut ejus flagrantissimus erga nos in ἐνεργείᾳ positus affectus indigetetur, quippe quo motus deperit nos, & deperit amore. Nostis enim, inquit Paulus II. Cor: VIII, 9. *Χάριτι τῆς κυρίας Ἰησοῦ χριστοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὁσμὴν εὐωδίας ἢ καθεστῶ τὴν χάριτι τῆς θεῶν Gal: II, 20. Eph: V, 2.*

Pertinet huc votum, quo ut Gratia Christi, tam solitariè, quàm conjunctim cum dilectione DEI & communicatione Spiritus Sancti nominata, sit cum fidelibus, Apostolus optat II. Cor: XIII, 13. Rom: XVI, 20. I. Cor: XVI, 23. Phil. IV, 23. I. Thes: V, 28. I. Th. 5. III, 18. Eoque ipso repetito concludit obsignatque sacrum codicem Johannes Apoc: XXII, 21.

Fluunt ab hac gratiâ omnia, quotquot nobis à DEO exhibentur *spiritualia* potissimum beneficia. Unde etiam gratia abundans, seu *περισσεία*, abundantia gratiæ dicitur, Rom: V, 17. seu *χάρις διπλὴ χάριτος*, gratia pro gratiâ seu super gratiam, vel gratia gratiâ cumulata; prout nonnulli Cap: I. Job: v. 17. huc referunt, à Theologis Jenensibus in glossâ ita explicatum, ut credentes frui dicantur dilectione & misericordia DEI, cujus virtute nobis donantur Remissio peccatorum, Justitia, liberatio à maledictione legis & jus vitæ æternæ, sanctificatio & renovatio, confirmatio & conservatio in statu beati-

beatifico novæ nativitatís, & id quidem omne ἀντὶ χάριτος, vel eam ob causam, quia Salvator mundi unicus ille homo in gratia Rom. V, 15. per meritum suum sanctissimum gratiam DEI Patris communicationemque Spiritus Sancti nobis acquisivit, II. Cor: V, 19, 21. Meritum enim ejus, si quidquam aliud est, quod gratiam DEI nobis præstat, consistens in obedientiâ activâ & passivâ, seu Legis & crucis, quò tanquam gratiâ Christi justificari & hoc loco salvari dicimur, teste Paulo, Tit: III, 7. Est enim τῆς κρείας Ἰησοῦ Χριστοῦ gratia seu meritum, Filii nempe DEI Jehovah, qui justitia nostra est, Jer: XXIII, 6. Is assumptâ humanâ carne in subsistentiam personæ suæ divinæ, soluto λύτρω in cruce pro peccatis nostris DEO patri, Dominus Salvator & Rex noster factus est, qui nos redemit ἔφθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι. I. Pet: I, 18, 19. deditque nobis per hanc gratiam Jus & potestatem filios DEI fieri, credentibus in nomen ejus. Job: I, 12.

Particula quoque Διὰ intacta nobis non est prætermittenda, quippe quæ in hoc negotio tam efficientem causam principalem, quàm meritoriam, quàm impulsivam innuit. Neque enim Christus tantummodo gratia sua promeruit nobis justitiam & vitam æternam juxta III. Cap. Rom: 24. *Justificati gratis per gratiam Ipsius διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως* τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ; sed etiam movet isto suo merito DEUM patrem, ut credentes actu ipso justificet & salvet, ut justificati ex fide pacem habeant διὰ τῆς κρείας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' ἧς καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐρχήκαμεν τῇ πίσει εἰς τὴν χάριν ταύτην. Rom: V, 1, 2. Et porro ipse quoque tanquam κύριον αἶλιον cum patre applicat nobis coram judicio divino constitutis, justitiam suam, nos à peccatis absolvendo, & justos reputando, in quibus actibus formale justificationis consistit, tandemque æternam salutem donat. Hæc enim per ipsum sunt & fiunt omnia ἐξ αὐτῆς καὶ δι' αὐτῆς, Rom. XI, 36. Sicut δι' αὐτῆς mundus servatur. Job. III, 17.

Πιστόμω σωθῆναι] πίσις à πέπισαι persuasus fuit, propriè est actus docentis & suadentis, qui in animo discantis efficitur. Præsupponitur itaq; Notitia, quam sequitur assensus, cui accedit immota fiducia, ita quidem, ut homo 1. per prædicationem verbi informetur, quomodo enim credent, de quo non audierunt. ἢ πίσις ἐξ ἀκοῆς, ἢ ἡ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ, Rom. X, 14, 17. 2. In mente convincatur, rem sic & non aliter se habere. 3. Voluntate suâ inducatur, ut fiduciam in objecto sal-

vifico ponat, recipiatque, quod offertur ambabus, nempe gratiam DEI in Christo Jesu, seu promissionem de gratuita remissione peccatorum propter Christum redemptorem. Hoc enim est proprium & adequatum objectum fidei, prout justificans est. Rom. III, 24. IV, 24. Act. IV, 12. X, 43. I. Cor. I, 30. diciturque propterea πεποθησις, II. Cor. III, 4. Γάρος, Job. XVI, ἰσότης καὶ ἔλεγχος, Hebr. XI, 1. παρηγορία, Eph. III, 12. πληροφωρία, ac si plenis velis constanter sine omni fluctuatione feratur in objectum, idque sibi tanquam portum, ubi navis secure persistit, unice constituit. Hinc enim & non aliunde Justitia Dei per fidem Jesu Christi [*Sunt duo genitivi Objecti*, hoc est per fidem in Jesum Christum] in omnes & super omnes, qui credunt: ἡ δὲ διασολή, Rom. III, 22.

Sensus igitur Petri reliquorumque Concilii Apostolici assessorum hic est: *Se non tantum certo certius ex Verbo DEI scire modum & viam salvandi, per gratiam nempe Jesu Christi, sed credere se quoque firmiter, hoc & non alio modo se Salvatum iri*, ac proinde omnem se spem, fiduciam omnem in Christum Jesum jam pridem habere positam, mente quoque & corde, intellectu & voluntate eò ferri, ut salutem, Christi gratiam partam apprehendant, *Salutem* nempe Spiritualem gratie & glorie. Sic enim Salus nostra dispesci solet, vocabulo σωτηριου indigitata; non quod formalis intercedat differentia, vel Specie differant *Salus in spe & Salus in re*, seu fructio salutis in spe & fructio salutis in re, siquidem omnino constat, nos esse filios Dei, I. Joh. III, 3. *estque tanta vis fidei, ut eam ipsam horam, quam credere incipimus, etiam vivere incipiamus vitam aeternam*, ut B. Lutherus loquitur *Comment. in Genes. c. 48*. Sed quod post hanc vitam demum vitam plenè & inamissibiliter sumus percepturi gaudium illud, cujus eadem specie, sed longè diverso gradu fructio in hac mortalitate, per vires, & non sine crebris mutationibus propter infirmitatem subjecti initium sumsit. Videmus enim nunc in speculo, in ænigmate; *tunc autem de facie ad faciem*. I. Cor. XIII, 12. & licet filii Dei simus, nondum tamen omnes qualitates apparuerunt, ad quas per fidem conservamur, ut revelentur in tempore novissimo I. Pet. I, 5.

Ὁν τρέπον κακῆνοι] scilicet πατέρες, de quibus sermo fuerat, quod jugum Legis Mosaicæ tam ceremonialis quam moralis portare non valuerunt. Quid ergo illi? & quomodo salvati sunt? per gratiam Jesu Christi,

Christi, qui fuit *heri & hodie, ipse & in secula. Hebr. XIII, 8.* Modus itaque in V. & N. T. *salvandi prorsus idem.* Sic enim argumentari licebit: Quicumque pariter per gratiam Jesu Christi fide justificati sunt, eos salvandi fuit & est idem prorsus modus.

Atqui credentes in V. & N. T. pariter per gratiam Jesu Christi fide salvati sunt.

E. eos salvandi fuit & est idem prorsus modus, nempe quoad τὰ σωτηρία, non quoad τὴν εὐαγγελίαν, id quod ulterius erit demonstrandum.

Hoc unicum hic addendum nobis est, quando de modo salvandi solliciti sumus, justificationem nempe, cujus finis respectu nostri, salus est & vita aeterna, necessario praesupponi. Neque enim beneficia haec *Justificatio & salvatio* divelli possunt, nexu indissolubili coherentia, *δικαιοσύνης ἡμεῖς & οἱ ἄλλοι κληρονομοὶ τῆς ζωῆς αἰωνίου* heredes efficimur *vita, aeterna Tit. III, 17. & quos justificavit, hos glorificavit. Rom. VIII 30.*

Fiunt autem ambo eodem prorsus modo, quod collatio causarum facit manifestum. Sicut enim *gratia Dei est, qua salvamur, Eph. II, 8.* Ita eadem ejusdem Dei *gratia est, qua justificamur, Rom. III, 24. Eph. I, 7.* Sicuti Christus *merito suo patrem movet, ut actu justificemur, Act. XIII, 38.* per hunc nobis contigit remissio peccatorum; Sic eundem movet, ut *actu quoque salvemur, Act. IV, 12. non est in alio quoque Salus, nec aliud nomen est sub caelo datum, in quo oporteat nos salvari.* Sicuti porro *sola fides per Verbum & Sacramenta accensa tanquam sufficiens & adaequatum medium recipit justitiam, Rom. IV, 5.* Sic eadem quoque salutem. *Justus enim fide sua vivit, Hab. II, 4. & per fidem custodimur ad salutem, I. Pet. I, 5.*

CAPUT II.

Ulteriore[m] totius rei diductionem proponens

per VI. Aphorismos.

Aphor: I.

Causa efficiens justificationis & salvationis principalis in N. & V. T. est Deus Triunus.

S. I. **U**T nullus in terminis ambiguitati relinquatur locus, praelibandum nobis erit, quid V. quid N. Testam. nomine veniat. Haec enim duo & non plura Testamenta indignant sacrae literae, quoties vel
veteris

Veteris, vel Novi faciunt mentionem, alterum alteri ἀντιδιηγεμένως
opponentes *Jer: XXXI, 31. Gal: V, 24. Hebr: VII, 22.* Et 1. in genere
quidem accuratè, secundum sensum biblicum loquendo *Testamentum*
est peculiaris Dei dispositio, tum de ipsius religionis dispensatione. tum de
administratione regiminis Ecclesiastici, ubi DEUS simul bona sua sub-
certis symbolis confert & obsignat, præstantibus vicissim hominibus id,
quod DEUS ab ipsis requirit. Vid: *Chemnit: p. II. L. C. Hutter: art:*
XV. L. C.

§. 2. Unde illicò consequitur *Vetus Testamentum esse dispositionem*
antiquam divinam, qua populo Israelitico per Mosen in monte Sinai,
inter fulgura & tonitrua, certa tum religionis, tum Politia, sub infini-
tis ferè ritibus & ceremoniis, dispensationis forma præscripta fuit, &
confirmata sanguine pecuino. *Exod: XXIV, 8. Hebr. IX, 18. seq.* *Novum*
verò novam esse dispensationem divinam, qua abrogata veteri, ex
Sion, per Christum, in universam terram doctrina Evangelica, ad-
ditis binis Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini, fuit promulgata,
obsignata verò sanguine Ipsius Mediatoris Jesu Christi, Matth: XXII, 28.
Marc: XIV, 24. Luc: XXII, 20. I. Cor: XI, 25.

§. 3. Applicatis his descriptionibus ad præsens negotium *Patres,*
qui per gratiam Jesu Christi salvati dicuntur, sunt Credentes V. T. qui
sub lege Mosaicâ vixerunt, jugumq; Legis tam Ceremonialis quam
Moralis, quod non tantum Ipsorum, sed etiam Apostolorum cer-
vici, priusquam ad Christum converterentur, impositum erat, ferè
non potuerunt, Act: XV, 10.

§. 4. Quia verò (2) *παχυλῶς* & minùs propriè, sensu non tam
biblico, quam Ecclesiasticis scriptoribus usitato V. T. postea exten-
ditur ad totum tractum temporis, ab exordio mundi usque ad adven-
tum Messia in carne, dicendum utique nobis est, per Patres intelligi
quoque posse *Patriarchas*, & cum ipsis, quotquot unquam salvati
sunt, antequam Christus Novum suum Testamentum cõfirmavit, sive
ante Mosen, sive post Mosen vixerint. *Brochmand. Tom: II. art. d.*
V. & v. 7. c. I. sect: III seq. Habuerunt enim hi omnes doctrinam sa-
lutis & promissionem gratia propositam, quippe qua semper eadem
fuit in V. & N. T sive propriè sive impropriè sic vocato. Vel, quod eo-
dem recidit; idem fuit *fœdus gratia* utrobique, quod DEUS pepigit
cum primis statim parentibus, inque iis cum toto genere humano
post lapsum, fore scilicet, ut remissionem peccatorum, justitiam &
vitam

vitam æternam deinde accipiant in Messia venturo, si promissionem istam de Semine mulieris, caput serpentinum contrituro, fide sint amplexuri. *Gen. III, 15.*

§ 5. Neque enim cessavit, hoc gratiæ fœdus sub Mose, qui Legis divinæ accuratiorem urgit observantiam. Hanc enim requisivit, non ut eâ salvatum iri homines doceret, cum Lex per carnem sit penitus infirmata, *Rom. VIII, 3.* Sed ut Judæi, superbum genus hominū, justitiæ externæ nimis confidentium, peccati & miseriæ suæ convicti, justitiam & salutem unicè in Meshâ venturo quærere compellerentur *Gal. III, 19. Rom. V, 20. VII, 13.* Mansit interim promissio firma facta ab initio *Adamo*, repetita *Noacho*, & antiquis Patribus, inculcata *Abrahamo*, *Isaaco*, *Jacobo* & posteris, usque adeò, ut eam ob causam novum Testamentum, quod Christus sanguine suo confirmavit, ante & post Mosen fuisse promissum ac propter istam promissionem *Vetustissimum* quodammodo nominari posse nō negandum sit; prout Paulus *Gal. III, 17.* innuit; *Hoc dico*, inquit, *διὰ τὴν ἐγγυσησθεμένην ὑμῖν ἔσθ' ἡθεὶς ἐκ Χριστοῦ*, *Lex quæ quadringentis & triginta post annis extitit, irritam non facit, ut abroget promissionem.* Loquitur de Abrahamo, qui tot annos ante, quàm Lex Mosis, seu vetus Testamentum extitit, promissionem illam *prima vice*, *Gen. XII, 4.* accepit; eandem *secundâ vice*, *Gen. XV, 18.* *tertiâ vice*, *Gen. XVII, 19.* cum additamento, Messiam nasciturum ex Isaaco; *quartâ*, denique *vice* *Gen. XXII, 18.* iteratam audivit; non secus ac postea Davidi notum fecit Dominus, ex Regiâ ipsius familiâ Messiam oriundum esse, *II. Sam. VII, 12. I. Chron. XVII, 11. seqq.* donec promissio re ipsa fuit præstita *nato Christo ex semine Davidis secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula*, *Rom. IX, 5.*

§ 6. Summatim: Deus cum homine lapsu inivit fœdus gratiæ, promittens credentibus Justitiam & salutem in Messia venturo, qui sanguine suo Novum Testamentum obsignaturus erat. Hac promissione ceu *præudio quodam N. T.* nixi sunt Patres ab Adamo usque ad Abrahamum in cordibus suis, sine externo visibiliq̃ue Signo, exceptis *Sacrificiis*, qui à lapsu illicò in usu esse cœperunt, confirmati. Successit Abrahamus, qui reiteratam & jurejurando confirmatam promissionem inaudiens, *Spe erexit se contra Spem, non infirmatus fide, sed confortatus*, *Rom. IV, 19. 20.* *Lætabundus diem Domini vidit, eide ἡμέρῃ ἐχάρη*

B

ἐχάρη

Exdē, Job. VIII, 56. Insecutum est ea tempora *foedus legale* seu *Vetus Test.* constringens homines sub observatione legis accuratissimā, ut agnitā miserā suā, majori desiderio expectarent promissum mundi Messiam, donec DEUS Testamenti sui sancti & jurisjurandi, quod Abrahamo juraverat, recordatus mitteret eum, qui mittendus erat, *Mediatorem* nempe inter Deum & homines Jesum Christum, qui effusione sanguinis sui *Novum Testamentum* reipsā confirmavit, *Luc. I, 72. Gen. XLIX, 11.*

§. 7. Sed enim Deus triunus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus est, qui foedus istud cum homine iniit, promissionem dedit, Testamentum fecit. Numquid enim erit alius Deus præter hunc, qui *unus* est in essentia, in personis *trinus*? absit, ut sentiamus secus, ac nos sacrae literæ seu V. & N. Testamenti tabulæ docuerunt. Hic idem Deus salutis, qua genus humanum gaudet, autor & effector est, *Solus & in solidum*, ita ut omnis causa Socia excludatur. Sicuti enim huic soli opus creationis; ita & justificationis & salutis nostræ unicè acceptum ferendum est. *Es. XLIII, 25. Jer. XXXI, 18. 19. Rom. III, 26. VIII, 33. Phil. II, 3. Vid. Aug. Tract. 72. in Job.*

§. 8. Sed Deus hic triunus satisne se in V. Testamento manifestavit, ut à credentibus unus in essentia & trinus in personis cognosci poterit? Resp. Licet notiones istæ *Trinitatis, trium, triunus* &c. totidem literis & apicibus in Mosis & Prophetarum scriptis non extent, sed Ecclesiæ N. T. quadantenus propriæ sint, profectæ non ex Platonicis lacunis, ut *Hugo Grotius* falsò opinatur, sed ex ipsis Verbi Divini laticibus, *Job. X, 30. I. Job. V, 7.* fatendum tamen omninò est; non absq; explicitâ trium, nec plurium, nec pauciorum, distinctarum personarum cognitione, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum à credentibus V. Test. esse cultum & adoratum.

Prout enim Deus se revelavit: ita à credentibus debuit coli, & cultus quoque fuit;

Sed in V. quoque T. revelavit se ut Patrem, ut Filium, ut Spiritum S. Ergò ita in V. T. à credentibus debuit coli, quin & sic cultus fuit.

Mensura enim revelationis est mensura cognitionis, & cultus seu adorationis. Qui enim aliter Deum colit, vel aliter de ipso cogitat, quam se revelavit, is procul dubio fit idololatra. Nam etiam in hoc puncto nihil addendum, nihil detrahendum, sed prout revelatum est, ita credendum, ita obediendum. *Deut. XII, 32.*

§. 9.

§. 9. Minorem probant non tantum dicta, ubi expressè fit mentio DEI Patris, qui genuit Filium, *Psal. II, 7.* & Filii, qui ab initio apud Deum fuit, *Pro. VIII, 22.* & Spir. Jehovæ *Es. LXI, 1.* qui Jobi. *XXXIII, 4.* Spiraculum omnipotentis vocatur. Sed etiam ea Scripturæ loca, ubi pluralitas personarum divinarum indigitatur, *Gen. I, 1. III, 22. XI, 7. XIX, 24. Psal. XXXIII, 6. Es. VI, 3.* & sexcenta alia. Pulchrè *August. L. de Fide ad Petrum, Tom. 3.* super verba: *Faciamus hominem ad imaginem nostram; cum dicit [imaginem] ostendit unam naturam esse; cum verò dicit [nostram] ostendit eundem DEUM, sed plures esse Personas.*

§. 10. Referri huc oportet, quicquid dogmati huic ab initio mundi revelato sub ipso V. T. lucem foenerabatur maximam, puta officium Primogenitorum, Patriarcharum, Sacerdotum, Levitarum, Prophetarum, aliorumque sanctorum DEI Virorum & Interpretum, qui familiis, liberis, nepotibus, auditoribus suis omnia accuratè explicuerunt, quæ Deus Ecclesiæ suæ revelaverat, quæ voluerat sciri & cognosci.

§. 11. Fatetur certè DEUS de Abrahamo, scire se, quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, *Gen. XIX, 19.* Super quæ verba *Pererius Comment: in Gen. Tom. 3. disp. 3.* *Hic, inquit, locus indicat, priscos illos patres, qui legem Moysi, omnemq; Sacram divinarum & humanarum rerum Scripturam prægressi sunt, solitos vivâ voce & per domesticam institutionem & disciplinam docere filios & posteros suos, quæcunq; ad consequendam animæ salutem æternamq; felicitatem scire eos id temporis, atq; agere oporteret.*

§. 12. Ecquis verò negaret ad viam Domini pertinere cognitionem Mysterii de SS. Trinitate? Quis denegaverit hanc cognitionem Abrahamo? quis Noacho? quis Adamo ipsi? *Non consentaneum est, inquit idem Jesuita quæst. 4. disput: de amplitudine & excellentia scientiæ, quam habuit Adam, Primum hominem. tot tantisq; bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus cumulatam, Mysterium Trinitatis, primum scilicet & maximum omnium Mysteriorum Fidei, & cujus clara visio, ut Augustinus inquit, tota est Fidei merces, ignorasse, præsertim verò cum hoc Mysterium primò in creatione Adamo fuisset indicatum; cum dixit DEUS, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

§. 13. Sic Sethi ejusque filiorum columnæ, ob imminentem cata-

elysium erecta, procul dubio inscripta habuerunt, ut alia; ita Sanctis-
 simæ Trinitatis Mysteria, ne diluvio periturus, & postea vicissim
 emerfurus mundus, tanto scientiæ bono privaretur. Confer. *Josephus*
l. I. antiq. Jud. c. 3. Quanquam quis profari auderet, *Noachum* in
 arcâ suâ DEI Triunius cognitionem oblitum fuisse? ante inundatio-
 nem dicitur justus & perfectus fuisse [*Gen. IX, 22.*] non tantum de mori-
 bus, sed & de doctrinâ dicitur, *Psal. XIX, 18.*] it: cum DEO ambulasse,
 fecisse omnia, quæ DEUS ipsi præceperat, profectus cum filiis, si *Be-
 roso* credimus, quadraginta duobus annis ante, quàm in arcam
 ingrederetur, in varias mundi partes, diluvium prædicens & la-
 pidibus futuras calamitates incidens. Post diluvium acceptus est
 DEO ob sacrificium, quia scilicet offerebat illud fide & fiducia in
 Christum olim nasciturum. *Osiander super Gen. VI, 9. 22.* Refer huc,
 quod Rabbi *Moses Maiemon* dixit in libr. *More Nevochim*: *Dicunt*
Sapientes de Prophetis, qui antecesserunt Mosen: Domus iudicii Eberi,
domus iudicii Mathusalemi; Schola Methusalemi, omnes fuerunt Pro-
pheta, & docebant homines instar Concionatorum, Doctorum, Præcepto-
rum. parte secundâ cap. 39. f. 302 Versionis Buxtorffianæ.

§. 14. Porro *Moses* Mediator ille Vet. Testamenti, quando dona-
 tus lumine prophetico, pentateuchum suum & fortasse juxta multo-
 rum opinionem [*Vid. Eduardus Simson in Parasc. ad Chron. Cathol.*
p. 2.] librum quoque *Jobi* scripsit, quis dubitaverit, quin prolata à
 se de DEO Triuno testimonia, nobis primo intuitu obscuriora, po-
 pulo Israelitico declararit. Audivit ipse prædicantem filium DEI de
 nomine Domini, incurvavitque se in terram pronus, adorans eum, &
 quisnam ambigat, neglexisse ipsum promulgationem tanti mysterii?
Ex. XXXIV, 5. 6. 7. 8 Dicitum equidem de essentia divinâ clarissimum
 proposuit *Deut. VI, 4 Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus,*
 non utique excepto filio, inquit *August. L. V. de Trin. cap. II. tom. 3.* aut
 excepto Spiritu S. oportet hoc intelligi, quem unum Dominum De-
 um nostrum rectè dicimus, etiam Patrem nostrum, per gratiam suam
 nos regenerantem.

§. 15. Petrus verò *Galatinus l. 2 de arc. Cathol. Ver. c. 1.* non aliam
 ob causam, inquit, *Moses ille magnus* TER DEI nomen in hoc dicto po-
 suit, nisi ut divinarum Personarum Trinitatem distinctè insinuaret. In
 dictione autem UNUS, quam immediatè subiecit, innuit tres personas
 divinas,

divinas, non tres DEOS, sed unum DEUM esse; hoc est, ut Damascenus ait, μία ὁσία, μία φύσις, μία θεότης.

§. 16. Mosen quotquot secuti sunt, sive Prophetæ & Videntes, sive Sacerdotes, sive Levitæ, sive Scribæ, sive Legisperiti, officio suo fungi satagerunt in eo, quòd discipulis suis & auditoribus, tum in templo, tum in synagogis explanarunt, quidquid in lege scriptâ obscurum fuit. *Vid. B. Hülfem. in Dialys. Apol. Probl. Calixt. de Trinit. Mysterio p. 32. seqq.*

§. 17. Respicit huc *Paulus*, quando se nihil quidquam locutum esse inquit ἐκ τῶν ὧν οἱ προφήται ἐλάλησαν, *Act. XXVI, 23.* It. *Petrus* quando Prophetas à Samuele, & deinceps quotquot locuti sunt dies N. T. annunciasse docet, *Act. III, 24. I. Pet. I, 10.* Quæ tamen omnia ita intelligenda sunt, ut hujus Mysterii majorem evidentiam in N. quàm in V. T. fuisse, ambabus concedamus, operantibus fidelibus post Messiam natum ad Solem, cum ante Christum credentes ad lucernam salutem opera sua exercuerint. *Vid. Franz. Schol. Sacrif. disput. 4. tb. 2.*

Aphor. II.

Gratia DEI est causa salutis humanæ *ἡ ἐργασ-
μένη.*

§. 1.

Dari speciem quandam gratiæ seu dilectionis divinæ generalis, supremæ & quasi independentis, quâ DEUS ad misericordiam generis humani permotus, omnibus omninò hominibus, mortis ac damnationis æternæ reis, medium reconciliationis, nempe meritum & intercessionem Christi ordinavit, testis est ipse Salvator, *Joh. III, 16.* Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Antegressa ergò est hæc dilectio ipsam Christi ad mortem destinationem, hanc tanquam causa suum effectum operata. Potuit enim DEUS, salvâ suâ justitiâ hoc præstare, cum non tantum justus, sed etiam misericors sit, ut totius generis humani, prout in extremis propter lapsum periculis constitutū erat, miseretur; Sed quòd postea quoque voluit, ut omnes omninò homines ad participationem istius gratiæ vocarentur, deducendi ad vitam æternam, si credituri essent, id merito Christi acceptum ferendum est; quandoquidem illud ipsum gratiam & benevolentiam DEI magis magisque provocavit. Sine istius enim inter-

B 3

ventu

ventu læsa DEI iustitia misericordiarum ulteriorem locum se exerendi non concessisset.

§. 2. Hinc commendat gratiam suam DEUS erga nos, eò cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, *Rom. V, 8.* Estque hæc gratia, etiam merito Christi elicita, *Universalis*, completens omnes homines, patefacta sine ullâ temporis intercapedine homini lapsò, ut ne desperaret. *Gen. III. 10.* Præsupponitur verò in nostro dicto, seu includitur *gratia Jesu Christi*, quando huic salvasio nostra adscribitur. Voluit enim Deus, *voluntate antecedente* seu misericordiarum, ut ad unum omnes salvi fierent, ut nemo periret, ut benedictio divina in Christo, *Eph. I, 3.* quæ ratione *acquisitionis* universalis est, omnibus conferretur; quamvis *voluntate consequente*, quia ratione actualis per fidem *applicationis* particularis fit, tantummodò paucis conferatur. *Vid. Dn. D. Olearius in Continuat. Isag. in F. C. B. Carpz. p. 1681.* ubi hanc ipsam ob causam controversia *Huberianismo* affinis, *utrum DEUS voluerit omnes electos?* negativè deciditur.

§. 3. Noverunt hanc gratiam DEI credentes in V. T. tanquam digitos suos; hinc toties eam deprædicarunt, toties postularunt, toties expectarunt. Eam sensit Adam cum Eva sua non tantùm inaudiens vocem Evangelii de capite serpentino conterendo, sed etiam indutus à DEO vestibus, non ex arborum corticibus, ut falsò *Barcephas l. de parad.* opinatur; Sed ex caforum animalium pellibus confectis, significantibus vestes gratiarum & gloriarum, per Christum, agnum illum DEI, conficiendas. *Gen. III, 21. Es. L. XI, 10.* Sensit eandem Abel, quando ad munera ejus respexit DEUS, testatus procul dubio, igni cælitus demisso, sibi gratam esse oblationem istam. *Confer. Lev. IX, 24. II. Chron. VII, 1. I. Reg. XIX, 38.* Quin nec Cainus eam desperare coactus fuit, nisi ipse desperasset, cui dicenti, *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear* *Gen. IV, 13.* meritò Augustinus contra inquit: *Mentiris Cain, major est DEI misericordia, quàm DEI miseria.* *Lyra super d. l. ex Aug.*

§. 4. Sic Lothus ad gratiam & misericordiam divinam, quã antea patruus ejus Abrahamus nixus, pro Sodomitis intercesserat, eleganter provocat, vix ereptus incendio Sodomitico, ne denuò in periculum incideret; *Magnificasti misericordiam tuam, Gen. XIX, 19. Confer dicta Exod. XXXIV, 6. Deut. IV. 31. Num. XIX, 15. Thren. III, 22. Jon. IV, 2. Joel II, 13. & deprehendetur misericordia DEI super nos confirmata, & veritas*

veritas Domini, quae manet in aeternum, Psal. CXVII. Qui Psalmus ad vocationem quidem gentium sub N. T. futuram accommodari potest, ut scilicet de hac vaticinatus dicatur David, sed nihil certè impedit, quin de Ethnicis quoque sub V. T. intelligi possit. Sunt enim & hi eo ipso tempore invitati, ad cognoscendam misericordiae divinae abyssum. Neque nulla lex data est pro ipsis à Mose, ut potius clarissima sint verba de peregrinis, in Ecclesiam Judaicam vel admit- tendis, vel tolerandis, vel informandis, si quæ sacrificia offerre vo- luerint. *Levit. XVII, 8. seqq. Num. XV, 14.*

§. 5. Sic Esaias sub personâ Jehovæ *Filios alienigenas*, inquit, c. LVI, 6, 7. *qui adherent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint ei in servos. Adducam eos in montem sanctum meum, & letificabo eos in domo orationis meae. Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi, super altari meo.* Ad quæ verba Lutherus: *Consolatur*, inquit, *profelytos sui temporis, ne se putent alienos à populo DEI, & promittit, quanquam non sint de semine Abrahæ, tamen illorum sacri- ficia accepturum DEum, & plures vocaturum.* Vide Franz. *Disput. IX, Schol. Sacrif.*

Aphor. III.

Christus in V. T. per Sacrificia præfiguratus me-
ruit toti generi humano, quidquid ad ejus sa-
lutem pertinuit.

§. 1.

TRipliciter adscribitur Christo salus nostra 1. ut *causæ efficienti prin-*
cipali, quatenus non tantùm cum Patre & Spiritu S. hominem la-
psum in gratiam recipere, ipsumque sibi reconciliare voluit, sed etiam
vi Regii officii credentibus remissâ peccatorum culpâ & poenâ suam
justitiam actu ipso applicat, vitamque æternam donat, *II. Cor. V. 18. 19.*
Job X, 27. seq. 2. ut *causæ meritorie*. Satisfecit enim læsæ Majestati
divinæ ac sanguine suo ceu ingenti pretio nos redemit, *Es. LIII, 6.*
I. Cor. VI, 20. VII, 23. I. Pet. I, 19. 3. ut *causæ impulsivæ*, dum Patrem meo
rito suo intercedens pro nobis movet, ut tanquam amici & cohæredes
Jesu Christi tractemur. *Rom. IX, 34. Hebr. IX, 24.* Hujus enim, nempe
meriti, & simul intercessionis Christi intuitu, Pater nos amat amore
speciali, aliàs *complacentiæ dicto*, *Job. XIV, 21. 24. XVII, 27.* Sive facit

nos gratos & acceptos in dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus *Eph. I, 7.* quo ipso nos freti postquam fide meritum illud apprehendimus, certi de interpellatione Christi pro nobis, *I. Joh. II, 1.* gloriamur in spe filiorum Dei, *Rom. V, 2.*

§. 2. Constat verò meritum Christi, tum Satisfactione pro peccatis sufficientissimâ, *Es. LIII, 4. 5. Psal LX X, 5. Phil. II, 8.* tum impletione Legis absolutissimâ, *Rom. V, 19. X, 4.* illa obedientia Christi passiva; hæc activa nominari solet. Utramque justitia divina flagitavit; utramque igitur nostri loco præstitit Christus. Transgressores enim nos facti Legis divinæ, & sic rei æternarum pœnarum, quæ nobis sustinendæ fuissent, obligabamur nihilominus, ut olim, ad legis observantiam; unde si ex ære Dei exeundi potestas nobis acquiri deberet, utique non tantummodo pœnæ illæ per Christum erant removendæ; sed etiam lex perfectè implenda, ne denuò illius maledictioni succumberemus. Et illud quidem præstitit satisfactoria Christi passio: hoc Legis impletio; utraque vicaria nostri loco suscepta. Pro nobis enim passus est Christus, pro nobis satisfecit legi, factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus, *Gal. IV, 4.*

§ 3. Et hæc est gratia, quam fecit nobis Christus; hæc est gratia, quam Patres in V. & nos in N. T. salvatos fuisse, & salvatum iri commemorat Petrus, nempe meritum Christi, quod gratia dicitur, quia à Christo ex gratia, & amore erga nos peractum, gratiam Dei Patris ulteriorem provocavit; nobis eandem acquisivit, ut ex gratiâ gratis, sine aliis, vel passionibus, vel satisfactionibus, justificemur & salvemur, *Es. LXI I, 3. Rom. III, 24. Eph. II 8. 9.*

§. 4. Præfiguratum fuit hoc meritum Patribus sub V. T. in victimis, & quidam secundum legem offerendis, ut utraque Messiae obedientia satisfactoria & completoria, ut sic loquar, indicaretur; collimavitque eò Johannes, locutus de agno ἐσφαγμένω ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *Apoc. XIII, 8.* Non enim tantum ratione æternæ Dei prædestinationis, Messias sic vocatur, prout negandum non est, fœdus quoque gratiæ, quod Deus cum hominibus iniit, destinatione & interventu mortis agni hujus confirmatum fuisse; dicimurque hinc redempti pretioso sanguine agni immaculati, & incontaminati Christi, *ωρεγνωσμέ-
νῃ μὲν*

ὅτι μὴ ἀποκαταβῶντος κόσμου, φανερωθέντος ἢ ἐπ' ἐξάτων τῶν χειρῶν, I. Pet. I. 19. 20. Sed etiam ratione sacrificiorum, a Patribus oblatorum, quibus in Messiam venturum, ejusque meritum & satisfactionem respexerunt, accepti hoc nomine apud Deum, cui sine fide in Christum nihil placet, Hebr. XI, 6. Sic Abel dicitur fide plurimam obtulisse hostiam, quam Cain, πλείονα θυσίαν uberiolem, majoris pretii, ut Beza vertit; gratiolem, ut Flacius. Quod enim Sacrificium Abeli Deo placuit, & non Caini, non in causa erat sacrificii præstantia, seu materiæ ubertas; Sed fides in semen mulieris, quam fidem Abel habebat, Cain verò non habebat. Oslander supra h. l.

§. 5. Pertinet hæc omnis disputatio de sacrificiis, totoque cultu Levitico, qui unicè ad Christum respectum suum habuit; quâ de re appositè Augustinus *Omnia*, inquit, *gentis Judaicæ promissa, Sacerdotia, Sacrificia, Templum & cuncta omninò Sacramenta Christum sonuerunt*, Epist. 3. ad Volus. tom. 2. col. 14. Et l. 10. contra Faustum c. 18. tom. 6. Hebræi in victimis pecudum, quas offerebant Deo, Prophetiam celebrabant futurae victimæ, quam Christus obtulit. Id quod probatur non tantùm à posteriori; quandoquidem jam umbræ omnes desierunt, Christo exhibito, quem adumbrarunt. Col. II, 17. Præcesserunt enim figuræ, ut sequeretur effectus, & in adventu rerum nunciatarum, finita sunt officia nuntiorum, inquit Leo serm. 18. de pass. Dom. p. 66. Sed etiam ab ipsâ primâ eorundem institutione, quippe quæ in hunc finem facta est, ut Christus cum suo merito repræsentaretur, fidesque credentium in venturum Messiam, qui solus futurus erat propitiatio pro peccatis mundi, confirmaretur.

§. 6. Quamvis enim & alii essent Sacrificiorum fines, puta quòd facerent, 1. ad obedientiam & gratitudinem Deo ab honoribus declarandam, 2. ad distinguendam Ecclesiam veram à falsâ. 3. ad arctiùs constringendum vinculum publicorum congressuum, præsertim in populo Israelitico. 4. ad immunditiem labemque humanam indicandam, cum juxta ea ἀνάμνησις τῶν ἀμαρτιῶν instituta fuisset Hebr. X, 3. primus tamen & principalis eorundem finis fuit hic, ut typi essent unici Sacrificii, verè propitiatorii, à Christo in arâ crucis, pro totius mundi peccatis, tum quidem offerendi, nunc jam oblatis, Psal. XL, 7. 8. 9. Hebr. IX, 28.

§. 7. Dubium verò nobis non est, quin illicò post lapsum [nam
C ante

ante lapsum ejusmodi quidquam in usu fuisse, aut cum religione, aut cum creatione ex lumine naturæ & instinctu divinitus ingenito, vel ex rectâ ratione seu rectâ inclinatione humanæ naturæ initium sum-
sisse, gratis dicitur à Bellarmino, Becano, Gregorio de Valentia aliis-
que Pontificiis] cum Prot-Evangelio sacrificandi cultus cœperit, Adamo præscriptus seu vivâ voce traditus à Deo ipso, quem postea observarunt Abel, Seth, Noah, cæterique Patriarchæ, usque ad Mo-
sen, cujus tempore id, quod antea planius & simplicius quasi fuerat propositum, vel potius, quod vivâ voce traditum erat, certis legibus, regulis, scriptis & voluminibus fuit insertum, ut haberent credentes, quod ex mandato Dei observarent; oculis semper reflexis ad Mes-
siæ Sacrificium unicum propitiatorium, justo tempore offerendum.

§. 8. Sic populus Israeliticus, qui solus, post Patriarchas sacrificia Deo placentia, tam pro se, quam pro peregrinis, verum Deum agnoscentibus, per Sacerdotes offerre poterat; Messiam tanquam verum Dei agnum, portaturum peccata mundi, veluti ex grege suo, ex tribu Juda, ex Davidis familia, ex Virgine proditurum esse, quasi exsertis digitis indicabat.

§. 9. Sic sacrificiorum *locus* ante Mo-
sen non tam rigorosè ad cer-
tum aliquod spatium, nisi fortè ad locum terræ Israeliticæ viciniorum; post Mo-
sen accuratissimè definitus, Levit. XVII, 8. 9. Deut. XII, 13. 14. testabatur in illo, non verò in alio regionis vel terræ districtu, Messiam esse moriturum.

§. 10. Eadem ratione *Ignis*, in sacrificiis adhibendus, [quem non nisi cœlestem esse oportebat, hoc est, vel immis-
sum miraculosè à Deo cœlitus, Gen. IV, 4. 5. I. Chron. XXII, 26. seq. vel ex hoc divinitus im-
misso perpetuo, tempore quidem diluvii à Noah intra arcam, adhibi-
tis carbonibus; post diluvium à Semo, Abrahamo, singulari modo; post latam verò legem in altari conservatum, Levit. VI, 9. seq.] Mes-
siam principaliter igne furoris divini assandum & comburendum esse significabat. Deus enim ipsum percussit; Jehova con-
jecit in eum iniquitates omnium nostrum, Esa. LIII, 4. 7. Messias verò sustinens pec-
cata nostra, sicut hircus ὑποπομπᾶς, Lev. XVI, 21. posuit animam suam pro delicto v. 10; tradidit semetipsum pro nobis, oblationem &
hostiam Deo in odorem suavitatis, Eph. V, 2.

§. 11. Quo nomine ipsum præfiguravit Sacerdotes V. T. & im-
primis

primis *Sacerdos summus*, qui sacrificiis igne cœlesti accensis expiavit peccata populi, præsertim in festo expiationis, ubi Sancta Sanctorum ingressus fuit, *Lev. XVI, 17. 30. 32.* Inspiciatur paulò accuratiùs *Cap. X. Epistola ad Hebræos*, ubi Messias ingressus mundum, ex *Pl. XL, 8.* introducit locutus cum Patre suo cœlesti, quod fecerit voluntatem ejus, offerendo seipsum pro peccatis mundi, & res erit clarissima.

Aphor. IV.

Verbum & Sacramenta tam in V. quàm in N. T.
fuerunt causæ organicæ salutis ex parte
DEI.

§. 1.

Ad legem, & ad testimonium, quod si non dixerint ad Verbum hoc, non erit ipsis matutina lux, inquit Jehova apud *Es. II, 20.* quod Paulus *Gal. VI. 16.* procul dubio intuitus *quicumq;*, inquit, *secundùm hanc regulam incedunt, pax super eos & misericordia.* Unde suã sponte fuit tam in V. quàm N. T., homines ad DEI Verbum & Sacramenta alligatos fuisse. Neque enim alia salutis media ordinavit DEUS, quàm hæc, quæ duplici modo sic dicuntur, 1. ut sunt *effectiva seu operantia* per modum ferè operationis physicæ; & vires naturales producant, ut credere possimus & actu ipso credamus, *Rom. X, 17. 1. Job. III, 6. 2.* ut sunt *doluxa*, & non tantùm annunciant, sed & offerunt, conferunt, applicant & obsignant justitiam Christi, quã justificamur & salvamur. *Vid. D. Carpz. Isag. in libr. Symbol. p. 251.* Et hæc est ratio, quamobrem ii, qui Spiritu Dei in hac vita illuminati fuerunt, & perceperunt suavitatem divini doni, dicantur Paulo gustasse virtutes venturi seculi, *Heb. VI, 4. 5.* nempe, quia per verbum revelatum prægustus quidam ipsius vitæ æternæ offertur, donec plenaria ejusdem fruitio subsequatur.

§. 2. Fuit verò *Verbum DEI* in V. T. si respexeris Patriarchas ante Moysen, *non scriptum* [nullibi enim de Scripturâ ante Moysen quidquam extat, nisi fortè ad Sethi columnas, quarum supra ex Josepho facta est mentio, recurrere velis; quæ tamen in hoc negotio, ne apicem quidem, nedum lineolam, nedum utramque paginam facere possunt, cum, si quidquam de rebus supernaturalibus inscriptum habuêre, id jussu Dei exaratum fuisse, nemo dixerit] sed *vivâ voce traditum*, quin imò, quod legem attinet, prout in rigore suo Evangelio opponi-

C 2

sur,

etur, in primâ statim creatione mentibus hominum Inditum publicatumque insuper in ipso paradiso, quando lex de arbore scientiæ boni & mali non comedendâ sancita est, *Gen. II, 17.* Fuit enim lex hæc *primordialis*, quasi matrix omnium præceptorum Dei, ut pulchrè Tertullianus explicat *l. adv. Jud. c. 2.* In hac, inquit, lege *Adæ datâ*, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per *Mosen*, ea est; *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum Tibi tanquam Te, & non occides, non machaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora Patrem tuum & matrem tuam; & alienum non concupisces.* Et post pauca, si *Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: Si proximum diligerent, id est, semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent &c.* Igitur hac generali & primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta Legis posterioris specialiter indita fuisse, cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt.

§. 3. Post lapsum prolato ex sinu gratiæ Evangelio, de quo paulò post, idem legis verbum mansit, ita tamen, ut quod antea tantum ad vitandam corporalem & æternam mortem datum fuerat, jam violatum iram DEI ac damnationem æternam annunciaret; Repetitum quoque postea & promulgatum denuò in monte Sinai per Mosen, in nullum alium finem, quàm ut Israëlitiæ Justitiæ suæ, quæ nulla erat, nimium confidentes, ad miseriam suam agnoscendam, Mesiamque promissum, qui eos liberaret, inquirendum excitarentur.

§. 4. Accesit eo tempore *Lex Forensis & Ceremonialis*, in suas distinctas species, & certum quasi ordinem digesta, quæ cum *Morali* normâ illâ vivendi accuratissimâ conjuncta, promisit perfectè obedientibus, justitiam & vitam æternam; Sed quia ab homine lapso impleri nullo modo potuit, hinc ex decreto quoque DEI omniscii, nec justificare, nec salvare debuit; sed saltem coërcere actiones hominum, peccata monstrare, & ansam dare inquirendi Christum, qui finis & perfectio legis est, & dicitur, *Rom. I. 4. Confer. Rom. III, 19, 20. VIII, 3. Gal. III, 10. seqq. Col. II, 17. Hebr. X, 1.*

§. 5. Conclusis ad hunc modum hominibus sub lege ejusque maledictione, *Evangelium de Christo*, ceu altera & nobilissima Verbi divini pars propositum fuit; Sed enim non ante lapsum, in statu innocentia;

centiæ, ubi incarnatio Filii DEI non fuisset expectanda, quidquid Scholastici, & hos secuti Photiniani ἀπερ χαφῶν pronuntiant; sed post lapsum demum, ubi prima vox Evangelica audita fuit: *Semen mulieris conteret caput serpentis.*

§. 6. Operata est hæc vox, quippe à DEO profecta conjunctamq; habens gratiam Spiritus Sancti, in protoplastis attentè auscultantibus, fidem; operatura eandem, ad finem usque mundi, in omnibus, qui obicem malitiosè non ponunt, idque tantò magis, quantò uberiùs explicatum fuit hoc Prot-Evangeliũ progressu temporis, loquente DEO πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως olim patribus in Prophetis, ultimis diebus in filio, Hebr. I, 1. Vid. Beza super h. l.

§. 7. Nam etsi prophetica doctrina sufficeret credentibus, ad æternam obtinendam salutem, tamen ad perfectius aliquid expectandum Patres remittebat, teste Petro, I. Epist. c. I, 10. De salute exquisiverunt ἐξεζητήσαν καὶ ἐξηρέυνησαν [adjungentes nempe ad supernaturalem afflatum propriam quoque industriam & studium, Hüls. in Dyal. Apol. p. 33.] *Propheta, qui de venturâ in vos gloriâ prophetarunt, scrutati in quem aut qualem temporis articulum prænunciis ille, qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet eventuras Christi passiones & gloriam illas secuturam.*

§. 8. Scilicet quod Paulus ait II. Cor. IV, 3, 4. *Si opertum est Evangelium nostrum, iis, qui [justo DEI judicio] pereunt, opertum est; in quibus DEus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ne irradiet eos illustratio Evangelii gloriæ Christi, id in V. T. locum quoque habuit.*

§. 9. Evidentia enim objectiva dogmatum Evangelicorum à lapsu usque, in Ecclesiâ DEI fuit satis clara, modò illuminatio intellectus humani, quam ipse Spiritus Sanctus per Verbum DEI revelatum operari intendit, non fuerit impedita. Lex enim [legis nomine intelligitur Evangelii doctrina, Osland. super h. l.] seu præceptum Domini כָּרָה purum, clarum, lucidum מאירה עינים illuminans oculos, Psal. XIX, 9. Si nimirum extra omne præjudicium tuerint, nec divina persuadendi vis verbo insita inhibeat.

§. 10. Quod si intellectus hominis, per Verbum DEI, virtute Spiritus S. qui per illud operatur, divinamque suam persuadendi vim exerit, fuit illuminatus; tum demum bona spiritualia & cœlestia, quæ

idem illud verbū annunciat, offert, confert, applicat, obsignat, ritè intelliguntur, percipiuntur, possidentur, adeò ut ejusmodi homo apud DEum propter Christum in gratia se esse sentiat, γευσάμενος τῆς δωρεᾶς, τῆ ἐπιφανείᾳ καὶ μέτοχος γενηθεὶς πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσάμενος θεῶν ῥήματα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, Heb. VI, 4. 5. Vid. tract. germ. Theol. Saxon. contra Rathmannum.

§. II. Verbo huic Evangelii fuerunt in V. & sunt in N. T. addita bina *Sacramenta*, illis *Circumcisio* & *Agnus paschalis*; his *Baptismus* & *Cæna Domini*, tanquam externa & visibilia signa invisibilis gratiæ divinæ, quibus promissiones Evangelicæ tantò certius confirmantur, quantò certius ad individua transit applicatio.

§. 12. Licet enim sit una eademque gratia, quæ tam in verbo, quàm in Sacramentis nobis exhibetur; modus tamen exhibitionis est diversus, pro diversitate instrumenti, quo gratia eadem offertur. Ibi enim auditum externum; hîc verò oculorum κείσιν, tanquam medium nobis DEus ipse voluit propositum; quò modò fit, ut Sacramenta quoad nos, sint signa confirmantia fidem promissionis Evangelicæ; quoad DEum verò sint organa, per quæ DEus gratiam suam offert, exhibet, applicat, obsignat, confirmat, auget, conservat. Confer. Chemnit. part. II. Exam. Concil. Trid. f. 212. Hutt. L. C. de Necess. Sacram. p. 619.

§. 13. Apologia Aug. Confess. p. 100. 201. ea nominat ritus in oculos incurrentes, ut moveant corda; sicut verbum incurrit in aures, ut feriat corda. Augustinus eadem nominat *verbum visibile*, quia oculis accipiuntur, & sunt quasi pictura verbi, idem significantia, quod verbum, quare idem est utriusque effectus. Nimirum sicuti verbum non tantùm significat & repræsentat sensum divinum, quem DEus hominibus communicare voluit; sed etiam efficax est organum, per quod Spiritus S. operatur, partim illuminando, regenerando, renovando, fidem accendendo, augendo, conservando, partim justitiam & salutem offerendo, conferendo, obsignando: ita Sacramenta non sunt nuda signa σημαντικά seu ὑπομνημονευτικά, quæ repræsentent duntaxat, aut per modum notificationis indicent, vel in mentem venire faciant, id quod Deus velit; sed etiam προσφερόμενα seu μεταδτικά, quæ reverà operantur, ceu organa & instrumenta, partim per modum operationis physice, prout fidem vel conferunt primitus, vel antè col-

latam

latam augent & confirmant; partim per modum actionis moralis, prout
ut justitiam & salutem credentibus in Christum offerunt, conferunt &
obsignant. *Vide sis auream B. Carpz. Isagogen in libr. Symbol. p. 250. 251.
406. 407. it. B. Weller. Comment. in Epist. ad Rom. p. 284. 285.*

§. 14. Sic Circumcisio Rom. IV, II nominatur $\sigma\Phi\epsilon\gamma\gamma\iota\varsigma$ τῆς δι-
καιοσύνης τῆς πίστεως. Per eam enim fides conferebatur infantibus,
confirmabatur adultis, utrisque obsignabatur plena justificationis &
salvationis gratia; ut justificati heredes efficerentur secundum spem
vitæ æternæ, prout Paulus de Baptismo loquitur, Tit. III. 7. Parium
enim est par ratio, & de similibus idem fertur judicium. *Vid. B. Ger-
bard. tom. IV. de sacram. in genere.*

§. 15. Hoc unicum addendum, respectu finis, effectus, & fructus
hoc dici de omnibus & singulis Sacramentis, nempe quod sint signa
exhibitiva gratiæ, seu organa salutis, quam suo modo operantur; in
se tamen spectata, utut tunc quoque inter se convenient causâ effi-
ciente; materiâ remotiore; formâ genericâ &c. differre tamen, ut in
aliis, ita in modo signandi, seu, ut alii loquuntur, objecto proprio.

§. 16. Circumcisio enim & agnus paschalis continuerunt saltem
 $\sigma\kappa\iota\acute{\alpha}\nu$ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, non ipsam τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, Col.
II, 17. Hebr. X, 1. seu res cœlestis in V. T. erat caro Christi typica, & san-
guis ejusdem typicus; Baptismus verò & sacra Cœna habent ipsum
corpus, ipsum Christum, seu ejus carnem & sanguinem, quâ de re Au-
gust. in Psal. LXXII. it: libr. 19. contra Faustum Manich. c. 14. illa, inquit,
promissiones habuerunt rerum complendarum; hæc indicia completa-
rum. *illa prænnunciatiua futuri; hæc annunciatiua exhibitivi Christi.*

§. 17. Cæterum illud sicco pede prætereundum, quod V. T. Sacra-
menta non eodem tempore sint instituta. Circumcisio data est A-
brahamo anno mundi 2107. ætatis suæ 99. Gen. XVII, 23. Agnus paschā-
lis Israelitis annis quadringentis post, nempe anno mundi 2508. Exod.
XII, 3. seqq. Illi ἐν τῇ ἀνεγβυσίᾳ; his ἐν τῇ περιτομῇ; postquam hi & illi
fide antea erant justificati, Rom. IV, 11. Unde per hæc signa seu signacu-
la ipsis gratia DEI, justitia & spes vitæ æternæ obsignata fuit, quemad-
modum in communi vita sigilla, seu signacula & fidei & majoris au-
toritatis & πληροφoρίας in subjectis excitandæ causâ, adhiberi solent.

§. 18. Quod si quærat, utrum ante Abrahamum Patriarchæ,
vel quivis alii credentes, deterioris fuerint conditionis, quod ejusmo-
di signa-

Si signacula seu Sacramenta non habuerint, respondendum negativè erit. Habuerunt enim aliquid Sacramentis analogum, quod idem præstitit, quod hæc præstitère, & si nihil aliud, certè sacrificia fuerunt, quæ promissiones Evangelii, fide in Justificationem & Salutem apprehendendas & obtulerunt & obfignarunt. Ut taceam adminicula sive privilegia, quibus ætas antediluviana, & quæ post diluvium ad Abrahamum usq; duravit, gavisa est, in quorum censu habita fuère colloquia cum ipso Deo; item apparitiones tum angelorum creatorum, tum angeli increati, Ipsius Filii Dei; item singulare gratiæ divinæ indicium cœlitus delapsi super sacrificia ignis; quæ omnia certè analogicâ quadam ratione carentiam Sacramentorum facilè compensabant. Istitis verò cessantibus Deo sic ordinante, successivè organa, uti dictum, efficacia salutis, conjuncta eum verbo in V. & N. T. quorum usus, dicente Augustino l. 4. de Baptismo contra Donat. c. 22. tantæ est necessitatis, ut nemo ea in quolibet etiam profectu hominis interioris negligere debeat.

Aphor. V.

Sola fides in Christum est causa salutis instrumentalis ex parte hominis.

§. I.

GRatis justificantur homines propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi & peccata remitti propter Christum, qui suâ morte pro nostris peccatis satisfecit, inquit August. Confess. Art. IV. Positis igitur binis hisce, nempe gratiâ Dei & meritò Christi, seu oblatis hisce bonis justificis & salvificis, per Verbum & Sacramenta, Fides tanquam manus apprehendit ea, sibi que applicat, sicque fit causa salutis, gratiæ & gloriæ, non quidem per modum efficientiæ, vel operationis, ac si in se & ex se ut qualitas, aut virtus, aut habitus nos justos efficiat, aut salutem mereatur; quomodo non negamus in sensu metaleptico accipiendum esse, si quando fides justificare, seu salutem operari dicitur, dum nimirum effectus causæ principalis tribuitur instrumentali, cum ne quidem ut instrumentum operativum, quod causæ principali cooperatur, & cum agente suo, ut serra cum tractore suo ligni lecisionem, effectum producit, accipiendum sit; sed per modum saltem apprehensionis, quatenus Christum, qui justitia & salus

salus nostra est, intuetur & apprehendit, tunc enim demum dicimus
πίστει, ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως Rom. III, 20, 30. Gal, III, 7. justificari & cu-
stodiri in virtute DEI, διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν ἐπιμένην ἀποκαλυ-
φθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ I. Pet. I, 6.

§. 2. Hæc fides ex parte hominis *organum salutis apprehensivum*
dicitur, non quòd homo eam ex sese habeat, aut ex naturalibus suis
viribus, quæ in spiritualibus nullæ sunt I. Cor. II, 14. credere possit;
sed quia Spiritus Sanctus per Verbum & Sacramenta in homine eam
est operatus, ut eidem jam subjectivè insit, & exerceatur ex eadem
Spiritus Sancti operatione, cujus donum & opus est & manet, tam
ratione inchoationis, quàm completionis Job. VI. 24, Phil. I, 24. II.
Thess. I, 11. Col. III, 12.

§. 3. Est quæ candidiori lapillo notandum, DEum hanc fidem præ-
bere, seu offerre παρέχειν omnibus Act. XVII, 31. nempe per verbum
prædicatum, quo corda hominum movet, ut cessare possint à morosâ
repugnantia naturali. Cessantes autem ab eâ, vel non repugnantes
Verbi auditores ulterius per idem Verbum movet, ut successivè con-
vertantur & credant. Vult enim homines salvos fieri I. Tim. II, 4. ac
proinde omnibus quoque prospexit de mediis adæquatis obtinendæ
ejus salutis. Quòd verò non omnes Deo, salutis media offerenti,
obediant, nec credant, aut fidem concipiant, in culpâ est ipsorum ad-
scititia perversitas. *Quod multi pereunt, pereuntium est meritum,
quod multi salvantur, Salvantis est donum; ut enim reus damnetur in-
culpabilis est Dei justitia: ut autem reus justificetur, ineffabilis est DEI
gratia,* inquit Augustinus ad Art. falsò sibi impositos Tom. VII.

§. 4. Unde patet, quomodo Paulus II. Thess. III, 2. intelligi velit,
fidem non omnium esse affirmans, nimirum non ob absolutum ali-
quod decretum id fieri, ac si Deus hominibus efficacem gratiam &
sufficientes credendî vires non donet, nec donare velit; sed ob perversam
hominum malitiam, qui oblatam gratiam ac credendî vires re-
spuunt, negligentes consilium Dei adversus semetipsos Luc. VII, 30.
Act. XIII, 46.

§. 5. Pandit se hîc iterum distinctio illa inter *voluntatem antece-*
dentem seu misericordiam, quâ Deus omnes vult salvos fieri, omnibus
salutis media offert, omnes quoque ut ea arripiant, quàm maximè
vult seriò, conferens ipsis per Verbum & efficaciam Verbo Dei indirâ

D

tantam

tantam gratiam, ut possint divinae motioni non resistere morosè: & voluntatem consequentem vel *justitiæ*, vel etiam *decreti*, ut B Hunnius loqui amat; quo utique homines præfractos, salutis media averfantes ac incredulos, æternum vult perire, juxta illud: *Qui non crediderit. condemnabitur; qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei Marc. XVI, 16. Job. III, 18. Vid. Hutt. de unione & syn Evangel p. 101. Hülfem. de auxil. gratiæ. p. 316. Dn. D. Olear. Contin. Isag B. Carpz. p. 1664.*

§. 6. Quotquot igitur credunt, virtute Spiritus S. per Verbum & Sacramenta operantis credunt & horum fides in objectum suum adæquatam, proprium & speciale, nempe Redemptorem Mundi ejusque Meritum fertur. Est enim fides non *nuda notitia* mysteriorum divinarum, nec *nudus assensus*, utut non frigidus & somnolentus, sed cum indubiâ persuasionem conjunctus; sed insuper etiam *πεποιθις*, *ἀνψις καὶ κατάληψις*, seu certa fiducia in Christum & *fiducialis* ejus *apprehensio*, applicans sibi bonum in Evangelio propositum, nempe misericordiam Dei peccata remittentis, per & propter Mediatorem Christum.

§. 7. Sic Paulus, *Hebr. XI, 1. ἔσι πίσις*, inquit, *ἐλπίζομένων ἐσώσασις πραγμάτων, ἔλεγχος & βλεπομένων*. Vocabula *ἐσώσασις* & *ἔλεγχος* non tantum de representatione quadam rerum speratarum, tanquam presentium & de convictione rerum non apparentium; sed etiam de apprehensione & fiducia rerum per fidem representationum & convictionum intelligenda sunt, ut ita in fide suâ tanquam in firmissimâ basi credentes acquiescant, certi & ἀμετάπητοι redditi, propter promissiones Dei indubitatas, quarum correlatum fides est. *Balduin. in Comm p. 1626. seq. Confer. Confess. Cathol. Gerhardi l. 2. part. 3. art. 23. cap. 1 seqq.*

§. 8. Per hanc fidem, inquit porro Apostolus *l. all. testimonium consecuti sunt οἱ πρεσβύτεροι* Seniores seu antiqui illi *Patres in V. T.* quorum catalogum texit per totum Caput XI., quatuor quasi classes constituens. I. ab exordio mundi usque ad diluvium. II. à diluvio usque ad Abrahamum. III. ab hoc ad Moysen. IV. à Moysen usque ad adventum Christi, de quibus in fine capituli repetit: *Hi omnes testimonium [Justitiæ] acceperunt διὰ τῆς πίσεως; sed non obtinuerunt τὴν ἐπαγγελίαν promissionem* seu promissionis illius de filio Dei in carnem mittendo
actua-

adualem & ipsis sensibus objectam exhibitionem, quod vidissent & audivissent Christum, id quod Patriarchæ, Prophetæ & Reges optarant *Luc. X. 24* Ἐθεῖς ὡς ἡμῶν κρείττον τί προβλεψαμύς, eò quòd Deus de nobis aliquid melius præviderit, nos scilicet promissum Filii in carnem adventum, adeoque promissionis sanctis V. T. datæ complementum intuituros & hanc præ illis prærogativam habituros esse. *Gerh. super h. l. Confer. D. Chemnit. in L. C. art. de Justif. tit. V. unum & idem esse Evangelium, quo omnes sancti, omnibus temporibus, ab initio mundi salvati sint*, ubi istæ classes seu ordines fusiùs declarantur, quomodo antediluvianiani & post diluvium Noah, Abraham, Isaac, Jacob, & ejus posterum testimonium fidei suæ in Christum acceperint, promissionem de semine mulieris, etiam in Ægypto, quando Pharaon semen masculinum Israelitarum interfici mandavit, *Exod. I, 16. 22.* inconcussam retinentes. It. quomodo Moses, teste Paulo, *Hebr. XI, 24.* opprobrium Christi prætulit præstantissimis thesauris Ægypti; quomodo idem Moses, non obstante ejus ministerio legali, finaliter monstraverit Christum, docente ipso Salvatore *Job. V, 46. de me Moses scripsit.* Attextitur quoque *loc. all.* quomodo Prophetæ à Mose usque ad Christum ad unum omnes de hac ipsâ fide & de promisso, quo unicè fides gaudet, Messia locuti sint, juxta illud Petrinum *Act. III, 24.* Omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps, quotquot [ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φερόμενοι *I. Pet. I, 21.*] locuti sunt, prænuntiârunt dies istos, puta, adventus Christi in carnem, & quicquid in carne, nostræ salutis causâ, fecit & perpessus est Salvator.

§. 9. Nimirum sic se res & non aliter habet: *Fide Patres in V. fide eadem credentes in N. T. Christum apprehenderunt, illi exhibendum, hi exhibitum;* cujus sibi meritum applicârunt & sic pariter justî & salvî facti sunt, ut inde omninò inferre liceat, *Eundem prorsus, & non alium utrobiquè, fuisse salvandi modum.* In nullo enim aliò salus, quàm in Christo Jesu data est, cui omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum esse, per nomen ejus, πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν, quemvis, qui crediderit in eum *Act. IV, 12. X, 43.* hac fide in Christum vivit justus *Habac, II, 4.* hac stat *Rom. XI, 20.* hac custoditur ad salutem, *I Pet. I, 5.*

§. 10. Sed numquid Sola fide? *Solâ,* prout hæc particula exclusiva in propositione isthac: *Solâ fide salvamur,* determinat non Subjectum,

jectum, ac si fides solitaria sit sine charitate, non habens ulla bona opera; sed predicatum, ut sensus sit; solâ fide sine ullo influxu tam charitatis, quàm reliquarum virtutum, licet presentium, salvamur. Neque enim tam stolidi sunt Lutherani, ut actum subjecti, destructo subiecto, somnient subsistere, quod somnium Pontificii sibi fingunt, nempe fidem aliquam salvantem, quæ sit sine charitate, hoc est, fidem non fidem. Quis enim nescit ex Jacobo, fidem sine operibus mortuam fidem esse, & non posse salvare; Sicuti mortua seu avulsa auris à corpore non potest audire: Sed hoc dicimus fidem salvare, non quatenus opera conjuncta habet, sive sic, ut influant opera in effectum, qui dicitur adeptio salutis æternæ; sed quatenus apprehendit promissionem salutis, per Christum partæ, seu Christum ipsum, qui dicitur vita æterna I. Job. V, 20.

§. 11. Et hic actus fidei proprius est, pro natura ejus inditus à Deo, cujus voluntas est, *ut omnis, qui videt Filium, & credit in Eum, habeat vitam æternam Job. VI, 40.* opponitur enim fides, quoad hunc actum ex parte hominis, aliis rebus omnibus, imprimis operibus, sive ante sive post justificationem factis, juxta exemplum Abrahami Patris credentium, qui hæreditatem consecutus esse dicitur, per fidem, non per opera, ex fide & in statu gratiæ facta. *Rom. IV, 14. seqq. Confer. Job. III, 15, 16. XX, 31. Act. XVI, 31. Rom. I, 17. Habac. II, 4. Vid. Hülfem. repet. art. 4. Lib. Concord.*

§. 12. Facit huc decisio quæstionis, *utrum quomodo justificamur, eo quoque modo salvemur?* Affirmativa, ex collatione omnium causarum justificationis & salvationis, quam vide apud B. Hülf. l. all. *Justificamur autem, nisi fide. Scimus justificari hominem non ex operibus ἢ ἀν μὴ διὰ πῶτος Ἰησοῦ Χριστοῦ Gal. II, 16.* quam locutionem exclusivam esse, nec ullam connexionem cum iis rebus, quibus opponitur, importare, evincunt alia Scripturæ loca, *Job. VI, 44. XV, 4.* Ergo etiam non nisi per fidem, vel solâ fide salvamur, *Form. Conc. art. Justif. p. 691.* Justificatio enim, cum sit ultima & extrema dispositio ad accipiendam beatitudinem efficit, ut aliæ præter eas, quæ ad justificationem requiruntur causæ, ex parte hominis requiri non possint, aut debeant.

§. 13. Egregiè scribit in hunc finem Hesy chius, qui vixit sub initium seculi V, *Miseratus DEus humanum genus, cum illud, ad explenda*

da legis opera, infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvare, sed per gratiam hominem voluit. Gratia verò ex misericordiâ & compassione probatur, & fide comprehenditur solâ, non ex operibus. Refert locum hunc Lucas Of. cent. 5. p. 23. Sic ante ipsum Ambrosius in explicatione I. Cor. I. Hoc constitutum est, inquit, à DEO, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Conf. Chemn. L. de Justific. p. 307.

Aphor. VI.

Nec Lex nec opera legis ad salutem consequendam quidquam faciunt vel fecerunt sive in V. sive in N. T.

§. I.

Fuit hoc tanquam *πρόσμα*, ex præcedentibus. Quòd si enim solâ fide ex merâ gratiâ, merito Christi provocatâ, inque verbo & Sacramentis oblatâ, justificantur & salvantur, tam Veteris, quam N. Testamenti credentes, quâ quæso aliter colligi potest, quam nec legem, nec opera legis, ad salutis consecutionem quidquam præstitisse, supervacaneus potius esset ipsorum concursus, posito, quod tamen concedi nequit; Legem & ejus opera habere, vel ex sese, vel aliundè facultatem & vires influendi in effectum, qui dicitur consecutio salutis. Sed enim bellè se res habet; *Lex infirmata per carnem, nullam habet facultatem nos salvandi Rom. VIII, 3.* hoc est, quam perfectè obedientibus vitam æternam promittit, eamque præstare ex sese sufficiens sit; impossibile tamen est ex accidenti, ut re ipsa præstet, vel præstare possit, quia à nemine perfectè impleri potest. Ubi verò nulla impletio, ibi nulla impletionis præmiatio.

§. 2. Tractat hoc argumentum Paulus *Gal. III, 21. εἰ ἐδόθη νόμος, ὁ δυνάμεν ζωοποιῆσαι, verè ex lege esset justitia, sed conclusit συνέκλεισε Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide J. C. daretur credentibus.* Mens Pauli hæc est; legem ex intentione DEI non esse datam, ut justificare & salvare debuerit, vidisse enim DEUM omniscium, eam ab homine nec impletum iri, nec impleri posse; Ideoque hunc finè, ut lex salvaret ex decreto Dei, fundato in ipsius omniscientia, non esse intentum; Sed hunc potius, ut Scriptura seu scripta & ipsius Dei digitis exarata lex, πάντα [ἐμφατικώτερος quàm si πάντα dixisset]

D 3

set]

set] hoc est, 'omnes homines, & quidquid ab hominibus proficisci potest, concluderentur sub peccato seu arguerentur de peccato, maledictioni ejus subjecti. Nec tantum hoc, sed ut quoque homines de peccato convicti, agnitam miseriam suam, & intellecto periculo, ad unicum gratuita Remissionis remedium deducerentur, quo respectu lex dicitur παιδαγωγός εις χριστόν, in Christum respiciens, seu ad Christum deducens, ut ex fide justificemur Gal. III., 24. Et sic lex bona est, ejusque pædagogia ad Christum, quin & terror legis ex intentione DEI salutaris, prout scilicet homo legis stimulo, ex somno peccati expergefactus, miseriam suam agnoscit, de propria justitia desperet, & ad mundi redemptorem in Evangelio propositum, unice confugit. Confer. Rom. III., 20. VIII., 15. Hos. VI., 5. I. Tim. I., 8.

§. 3. Videmus hunc processum observatum fuisse, ab ipso statim lapsu, homine adhuc consistente in Paradiso. Adam enim cum Evâ, jam audiens vocem DEI legalem: *Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* timore percellitur, & fugit, nec nisi promulgatione Evangelii, de Messia Caput serpentinum contrituro, delinitur, ne de gratia DEI penitens desperandi ansam arriperet. Gen. III., 11. seqq.

§. 4. Sic Cainus accusatur occulti & quiescentis peccati, in nullum alium finem, quam ut pœnitentiam ageret, & agnitam miseriam ad Messiam, in sacrificiis adumbratum, confugeret. Verum quia externam Justitiam inflatus, nudis ceremoniis inhærere mallet, desperationem incurrit, Gen. IV., 7.

§. 5. Melius Abel d. l. salutem animæ suæ consulturus, per sacrificia, DEO sic revelante & jubente, fidem suam venturo de semine Christo [qui seipsum oblaturus erat, pro totius mundi peccatis,] confirmavit, externæ operum justitiæ, quam procul dubio imperfectam, & coram DEO consistere non valentem, optimè intelligebat, valedicens, & fide placens Deo Hebr. XI., 4. seqq.

§. 6: Abelis exemplum secutus est Seth, & hunc Enos filius, qui extracto, ut Lutherus in gl. marg. loquitur, altari, cepit invocare nomen DEI, hoc est, aucto piorum cæta, congregationes publicas & solenniores instituit, proponens non tantum promissionem de venturo semine mulieris, sed etiam rigorem legis, ut agnitis peccatis homines Messiam quærere cogèrentur, & sic vera religio & pietas conservarentur Gen. IV., 26.

§. 7.

§. 7. Pari modo Henochus, qui cum Deo ambulasse dicitur *Gen. V, 22, 24.* quid aliud fecisse putandus est, quam quòd pœnitentiam ex Lege [non neglecto Evangelio, per quod Spiritus S. fidem, tanquam nobilissimam pœnitentis partem accendit] docuerit, factus ipse eximium pœnitentiæ exemplum, *Eccles. XLIV, 16.* homines sui seculi ad verum Dei cultum & obsequium provocans. Unde etiam subito de terra abreptus, vitam beatam post hanc calamitatem existere demonstravit.

§. 8. Viguit igitur in hunc modum lex, tanquam æterna & immota regula justitiæ divinæ, in mundo, & progressu temporis manifestante se Deo, Patriarchis, ante & postdiluvianis variè inculcabatur, donec eadem publico & solennissimo testimonio, in monte Sinai denuò promulgaretur, in hunc potissimum finem, ut naturam humanam, quotidie in deterius prolabentem, suscitaret, peccata argueret, & damnatâ justitiâ externâ, quâ homines fascinati, præ ambitione, miseriam suam non agnoscebant, Messiam majori desiderio expectandi ansam præberet. Vid. *Chemnit. art. de Lege c. 6. de promulgatione Decal.*

§. 9. Nos sic inferimus: *Quodcunq; tantummodò peccata exaggerat; miseriam aggravat; justitiam humanam damnat; iram DEI annunciat; illud ad justitiam coram DEO valentem, salutemq; æternam consequendam nihil quicquam facit, sed potius ansam desperandi, atque damnationem incurrendi offert.*

Sed Lex in suo rigore sumta, & Evangelio contradistincta peccata exaggerat, miseriam aggravat, justitiam humanam damnat, iram DEI annuntiat.

Ergò Lex in rigore suo sumta, & Evangelio contradistincta, ad justitiam coram DEO valentem, & salutem æternam consequendam, nihil quicquam facit, sed potius ansam desperandi atq; damnationem incurrendi offert.

Vid. dicta. *Rom. III, 20. IV, 14. VII, 7. Gal. III, 21. Deut. XXVII, 26.* & res ulteriori deductione non indigebit.

§. 10. Quod verò de lege ipsâ, id quoque de Operibus legis hoc modo asserimus, quòd nempe ad justitiam & salutem æternam consequendam nihil faciant, nec facere possint, ut potius si quisquam in iis confidere velit, omni gratiâ apud Deum excidisse dicendus
sic.

fit. *Evacuati estis à Christo, excidistis à gratia, quicumq; per legem [opera legis] justificari & salvari contenditis, inquit Paulus, Gal. V. 4. additque nos Spiritu ex fide spem justitiæ, hoc est, coronam gloriæ sive hæreditatem, quæ per Christum gratis justificatos, & cohæredes factos manet, [sumitur enim Spes Metonymicè pro eo quod speratur, uti Rom. VIII, 24.] expectamus.*

§. 11. Et sufficit hoc unicum ad retundendas omnium Justitiariorum argutias, quibus opera magno studio huic de justitiâ, & vitâ æternâ obtinendâ doctrinæ, infarcire laborant, sive eas deducant à conditione vel renatorum, vel non renatorum; Sive ab operibus ipsis, vel ceremonialibus, vel moralibus, vel ante, vel post justificationem factis. *Excidistis gratia, qui sic vel alio modo per opera justificari seu salvari vultis. Gratia enim tunc non manet gratia, nec gratiæ naturam retinet, sed prorsus evanescit. Si enim per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia; sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus, jam non est opus, Rom. XI, 6.* Vix ullum apertius invenitur testimonium, quo omnis opinio meriti ad salutem, intra nos, subjectivè siti, semel tollatur, inquit eleganter *Beza sup. b. l.* Sed tamen fallit lectorem suum in eo, quod *gratiam hanc etiam fidei sub ratione instrumenti gratiam apprehensuri prævisa, in electionis decreto oppositam esse existimet. De quo obiter.*

§. 12. Hoc notatu dignissimum est, procedere Apostoli argumentum à positione gratiæ, ad plenam & totalem exclusionem operum; & vice versâ; quem argumentandi modum à Petro quoque in præsentis dicto observatum fuisse manifestum est. Removit is in præcedentibus legem tam *ceremonialem*, quàm *moralem*, ejusque opera. Omnia enim hæc ad *ζυγὸν ἀβάσαντων* pertinent, & sic procescit, ad gratiam. Jam positâ gratiâ Jesu Christi, seu positâ hac thesi; *per gratiam Jesu Christi salvari credentes & V. & N. T.* utique removet omnia, quocunque nomine veniunt, opera.

§. 13. Et ne quis cavilletur, opera non illicò excludi omni modo à negotio justificationis & salvationis, licet à causa efficiente excludantur, illi occurrit Apostolus, *gratiam* nominando eam *πρὸς θεὸν ἔστω* *JESU CHRISTI*; per gratiam autem Jesu Christi indigitatur, ut supra dictum est, ipsum meritum Christi, ut sic opera à causa quoque meritoriâ exclusa esse cognoscerentur.

§. 14. Sed

§. 14. Sed quia nec sic *Justitiaris* satis factum esse videbatur, addit Apostolus *non credimus; Credimus per gratiam Jesu Christi salvari;* id quod respectum habet ad fidem, quæ ex Evangelio, legi contradistincto profecta, *sola* organum est apprehendendi justitiam & salutem in Christo, de quo lex, & ejus opera, ex natura suâ, non tantum nihil sciunt, sed etiam in apprehendendo ipsius merito, vel inde pululante justitiâ & salute, nequidquam præstare possunt.

§. 15. Quod si quis cavillando perrexerit, posse hæc fortasse omnia concedi de operibus, quæ homines sub lege constituti & nondum renati fecerint; at se rem habere aliter cum operibus renatorum, quæ Deo non tantum probentur, sed etiam ad salutem consequendam requirantur; Ei Petrina sententia è diametro adversatur. Est enim disputatio omninò de hominibus non irrogenitis, sed *rogenitis*, *utrum ab his Legis observatio, seu legis opera sub necessitate quâdam justitiam & salutem consequendi, sint requirenda?* Et deciditur quæstio *negativè* additis rationibus vers. 9. & 10. prægnantissimis, 1. Spiritum S. *fide, non operibus* purificasse corda eorum, qui sive ex Ethnicismo sive Judaismo fuerint conversi. 2. esse *πειρασμὸν ἑ θεῶν*, seu *tentari DEUM*, si quis præsumat jugum legis Discipulis imponere. Hoc enim Deum nullibi præcepisse. 3. *ἀδύνατον* esse, ut *opera Legis* possint præstari, sicut Lex requirit. Esse enim legem impletu impossibilem, & neminem etiam sanctissimorum Patrum in V. T. potuisse hoc jugum porare. Colligi ergò hinc posse & debere, *non per Legem, non per opera Legis, sive ceremonialis, sive moralis, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi, fide nos salvari, quemadmodum & Patres.*

§. 16. Concludimus ergò hoc caput verbis August. *contra duas Epist. Pelag. l. 1. c. 21. Quanta libet justitiæ sancti prædicentur vel N. vel V. T. tamen non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.*

CAPUT III.

Brevissimè Syllabum Errorum exhibens cum concisâ eorundem refutatione.

§. 1.

UT nullus religionis Articulus regno Diabolico magis contrarius est, quàm hic de modo consequendi vitam æternam, seu regnum gratiæ,

E

gratiæ,

gratiæ, & gloriæ; sic nullus quoque ab initio mundi à Diabolo ejus-
que Complicibus magis fuit impugnatus; vel in ipso statim Paradiso
hominibus adhuc constitutis in statu innocentiae, hoc tentavit Satan,
ut salvandi modum inverteret, si non penitus tollere valeret.

§. 2. Erat homini lex data, ad vitandam corporalem & æternam
mortem; non verò ut per eam æternam obtineret beatitudinem, quip-
pe quæ ex gratiâ Dei tunc quoque unice dependebat. Sed inverso
rerum ordine, serpens antiquus Evam sic alloquebatur; *Nequaquam
morte moriemini; ac si diceret; per istam utique legem, & non per
gratiam viveris, & ne quid deesset Cavillatori, non tam per observa-
tionem, quàm per transgressionem Legis, inquiebat, viveris. Novit
enim Deus, quod in quâcunq; die comederitis de fructu ligni, aperientur
oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum & malum.* Postquam
autem protoplastis sic illuisset, ut se verâ justitiâ, ob legem violatam,
privatos esse intelligerent, dubium non est, quin ex adversâ parte iis-
dem insurraverit, divinorum verborum perversor, *per legis observa-
tionem Deum esse placandum, & ad statum gratiæ remeandum.* Quod
quia impossibile esset, fugiebant miseri, se abscondentes à facie Do-
mini, donec Prot-Evangelium promulgaretur, hominibus fide in
promissum mulieris semen iterum in gratiam receptis.

§. 3. Fuit hoc Satanæ ἀλγηδων ἐν ὀφθαλμοῖς; sed cùm penitus id
removere non posset, indies Deo promissionem de mittendo Salva-
tore repetente, fraudem hanc commentus est, *non per gratiam, non per
meritum Christi, non per fidem in Christum, sed per legem salutem esse
quaerendam,* aut si quidquam concedendum esset, certè non soli fidei
gratiam Dei in Christo apprehendenti, sed simul *legi legisq; operibus*
opus justificationis & salvationis esse adscribendum. Pullulârunt
hinc tot serpentini seminis genimina, ut ea omnia numerari posse
vix crediderim. Revocabimus nos errores viperinos ad IV. potissi-
mùm Classes, quarum prima erit,

Pontificiorum.

§. 4. Errârunt olim Pelagiani, qui homines ante legem salvos factos
fuisse docuerunt per naturam; deinde per legem, postremò per Christum,
evacuantes quod dictum est I. Tim. II, 5. *Unus Deus & unus Media-
tor DEI & hominum, homo Christus Jesus,* inquit Cornel. à Lap.
super

super n. l. ex August. l. 2. contra II. Epist. Pelag. cap. 21. Sed enim hunc
psum errorem unà errârunt multi Pontificii, commenti, aliam justifi-
candi, & sic etiam aliam salvandi rationem fuisse sub statu legis natu-
ræ, & scriptæ, atque nunc est, sub statu gratiæ. Vid. hæc Pontificiorum
antithesis apud Capzov. *Disput. de Justif. ex Banno, Tannero & Pe-
fantio.* Idem error inculcatur, quoties pagani sine cognitione Chri-
sti, modò honestam vitam egerint, salvari potuisse dicuntur solâ na-
turæ lege, Ludov. Vives super August. l. 18. de C. D. c. 47. Sixtus Senensis
l. 6. Bibl. f.

§. 5. Ἐγγεισον Φαδρανον, quod Caspar Casalius, Hispanus, Soci-
ennis suis libr. de quadripartitâ hominis justitiâ propinavit, nondum
quidquam certi per Ecclesiam, de hac re sive in hanc sive in aliam sen-
tentiam determinatum esse. Determinet modernus Pontifex Ale-
xander VII. decidatque affirmativè, & restàm certa erit, quàm certa
est ejus determinatio, Mariam matrem Domini sine peccato originali
esse conceptam. Nos Sacram Scripturam secuti, novimus, neminem
salvari posse, nec salvatum unquam fuisse, nisi fide in Jesum Chri-
stum, qui hanc non habet, vel qui in Filium Dei non credit, ira Dei ma-
net super ipsum Joh. III, 36. Vid. *Disput. Lutheri super d. Dominus Jesus
heri & hodie ipse & in secula.*

§. 6. Iidem Pontificii aliter infantes, aliter adultos salvari conten-
dunt, Bellarm. de Justif. c. 7. Becanus Theol. Schol. tom. 1. tr. 4. Nos ean-
dem fidem & infantes & adultos habere in negotio justificationis &
salvationis, probamus ex ipsius Christi ore, ubi adultos ad exemplum
parvulorum credere & salvari jubet Matth. XIX, 16.

§. 7. Sic verum salvandi modum infringunt Pontificii, & quantum
in ipsis est, alium atque alium comminiscuntur, quoties omnes & sin-
gulas justificationis & salvationis causas pervertunt, i. per gratiam
Dei intelligentes non benevolentiam & misericordiam divinam, sed
justitiam inherentem, donum Spirituale homini à Deo collatum, ha-
bitum infusum, quo homines ex ipsorum opinione inhæsivè justii con-
stituti, non tantùm ulterius justificentur, puta justificatione secundâ,
quâ ex habitu præstant bona opera justitiæ, & per justitiam actua-
lem augeant & perficiant habitualement, tanquam primam justificatio-
nem, sed etiam salventur, Bellarm. L. 11. de Justif. cap. 3. seq. It. l. 4. cap. 18.
Conc. Trid. Sess. 6. can. 2. Becan. tract. 4. de gratia p. 375.

§. 8. 2. *Meritum Christi* elevantes, ac si non ex *asse*, sed ex *semine* saltem hinc valere possit, cum Christus tantum meruerit gratiam primam, quâ liberum arbitrium adjutum, elicere queat charitatis habitum erga Deum, & proximum, cujus exercitio æternam salutem promereamur. Unde flosculi in horto hoc Adonidis: *Christus meruit, ut nos mereri possimus: Christus satisfecit pro peccato originali, nos pro actuali: Christi merito competunt partes suppletoriae, ut si quid nostris meritis desit, id demum omnem defectum suppleat*, Joh. Poland. in method. pro Morit. p. 27. Colon. in Cens. p. 186. seqq. Bellarm. l. 2. de Justif. cap. 4.

§. 9. 3. *Verbum & Sacramenta* inquinantes, illi minus, dum nudum signum representans nominant; Bellarm. l. 2. de sacr. c. 8. §. secunda ratio & §. quarta ratio. His in N. T. plus justo tribuendo, dum ex opere operato, sine bono motu utentis, gratiam conferre clamitant. Vid. Petrus Suavis l. 2. hist. Concil. Trid. ubi disp. Franciscanorum contra Domin. recitat hac de re in ipso Conc. Trid. habitam. Quanquam hoc quidem tantum de N. T. Sacramentis assertum voluit, è contra Sacramentis V. T. ejusmodi virtutem operandi denegantes, quippe quæ promiserint saltem & significarint, non autem dederint gratiam & salutem. Bellarm. l. 2. de Sacram. c. 13. ubi Catholicos omnes convenire in eo fatetur, *Sacramenta V. Legis non contulisse gratiam ex opere operato.*

§. 10. 4. *Fidem* adulterantes, dum eam fingunt principium & dispositionem habitualis justitiæ, vel ipsum habitum infusum, & sic partem justitiæ infusæ, eamque vel *informem*, prout sine spe, charitate & cæteris habitibus infusis est: vel *formatam*, quando cum hisce conjungitur, sive in exercitio, sive extra hoc sit constituta, prout Jesuita Estius in I. Cor. XIII, 3. & in Cap. II. Epist. Jac. v. 2. commentatur ubi fidem vocat 1. *Assensum cum charitate*, 2. *assensum cum habitu charitatis infuso conjunctum*, & 3. *assensum actuale conjunctum cum operibus, ex quibus homo justificetur in actu*; & sic naturam fidei penitus evertunt, omnibus modis negantes, esse eam *organum*, quò meritum Christi, vel justitiam ejus vel salutem, vel vitam æternam apprehendimus quâ de re Apol. Aug. Conf. p. 107. De fide, inquit, *quâ apprehendimus propitiatorem Christum, adversarii nihil dicunt, imò hanc fidem improbant, nec improbant tantum sententiis & scriptis, sed etiam ferro & suppliciis conantur in Ecclesia delere.*

§. 11. Mirum proinde non est, si merita sua & opera tantoperè commendant, eaque ipsa articulo Justificationis & Salvationis infarciunt, Nos dicimus, inquit Jesuita Bellarm. l. 4. de Justif. c. 7. Bona Opera homini justo esse necessaria ad salutem non solum ratione presentiae, sed etiam ratione efficientiae, quoniam efficiunt salutem, & sine ipsis sola fides non effecit salutem.

§. 12. Sed respondemus I. in genere verbis Jesuitæ Salmeronis, super n. d. tr. 43. in Act. Apost. p. 292. seq. quæ utinam hunc, quem præ se ferunt, sensum, in mente omnium Jesuitarum sine furo obtinerent, Munda omnia mundis. Cùm per legem, inquit, tantùm esset cognitio peccati, & per eam homines peccatores convincerentur esse, remedium erat ad Christum venturum per fidem aspiceret, & per ejus misericordiam & gratiam salutem expectare. Et nota, inquit porro, Patres V. T. non ex lege Moysi, sed à Christi gratia & sanguine, salutem consecutos per fidem: nam justus ex fide vivit. Id autem significat verbum, quemadmodum & illi, scilicet Patres V. T. at justus sunt omnes, qui testimonio fidei probati inventi sunt, quorum Catalogum Paulus XI. capite ad Hebræos enumerat. Quod unus autem omnium Christus ad salutem sufficiat, aded ut neq; Judæis lex & ceremonia, vel gentibus liberum arbitrium, Sapientia & opera moralia atq; heroica, ad vitam sive salutem contulerint, docet Apostolus solidè & efficaciter in Epist. ad Rom. & Gal. Per gratiam autem Domini nostri intellige aut gratuitam Christi erga nos voluntatem & benevolentiam, quâ pro nobis justificandis & ad salutem perducendis sanguinem suum in cruce oblatum Patri obtulit. Vel donum gratiæ cordibus credentium infusum, per quod à peccato sine legis operibus exsurgimus, quo etiam per nos operante salutem adipiscimur eternam.

§. 13. Nos Scripturarum ductum secuti, illam nempe benevolentiam DEI voluntatem, vel potiùs meritum Christi ex purâ gratiâ peractum, ut supra cap. I. dictum est, intelligimus, & sic in specie respondemus ad I. pessimè confundi causam cum effectu, gratiam DEI cum dono ex gratia, seu gratiam justificantem cum sanctificante. Illa extra nos est, & exierit se, quando DEUS nos in Christum credentes gratis à peccatis absolvit, & justitiam Christi donat, seu quando nos justificat, cujus actus seu justificationis finis, respectu nostri, est salus seu vita æterna: Hoc seu donum quoddam ex gratia, in nobis est inhaesivè,

& dicitur *gratia sanctificans*, estque pravatum qualitatum & affectuum malignorum immutatio, propter quam nec justificari, nec salvari possumus.

§. 14. Responsio ad II. *Sufficiencia meriti Christi*, omnibus numeris absoluta, toties confirmatur, quoties ipse & quidem solus *Es. LXIII, 3.* nos liberasse dicitur ab omnibus inimicis nostris *Luc. I. 71.* ab omni iniquitate *Tit. II, 14.* ab omni peccato *I. Job. I, 7, 9.* à maledictione legis *Gal. IV, 5.* ab operibus mortuis *Hebr. IX, 14. Confer. Hebr. II, 14. 15. Hose. XIII, 14. Es. LIII, 5. Rom. V, 8. Eph. I, 7. Col. I, 14.*

§. 15. Refer huc *תפילין* propitiatorium Vet. T. unicum *Exod. XV, 17.* quod Typum gessit unici veri propitiatorii Christi Jesu *Rom. III, 22. 23.* Quod ipsum qui intuetur, accedat *μετὰ παρηγορίας τῷ Θεῷ τῆς χάριτος* *Hebr. IV, 16*; qui negligit, nullum sive de gratia DEI, sive de remissione peccatorum audiet oraculum, præter illud Pauli: *κατηγήθητε ἀπὸ τῆς Χείρ, ὅτινες ἐν νόμῳ δικαιοσύνης, τῆς χάριτος ἐξεπίστατε.* *Gal. V, 4.* Neq; enim potest, nec debet quicquam aliud sive opus, sive meritum tabulas legis [peccata contra decalogum commissa] operire, quàm hoc operculum ex auro puro, ut potiùs ejus usus illicò evanescat, si quis alia quæsiverit opertoria.

§. 16. R. ad III. Verbum DEI non est nudum signum, quod duntaxat significet, vel etiam repræsentet & quadantenus offerat objectum justificum & salvificum, sed etiam revera dat & confert & applicat. Est enim *δύναμις τῆς Θεῆ* [organum verè potens & efficax] *εἰς σωτηρίαν πάντων τῶν πιστεύοντι* *Rom. I, 16.* per quod salvamur *I. Cor. XV, 2.* quod animas nostras salvare potest. *Jac. I, 21.* de quo Salvator ipse *Job. VIII, 51.* *Quisquis, inquit, sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

§. 17. De Sacramentis idem esto judicium; nempe quod justitiam & salutem certo modo operentur; dico *certo modo*, non autem modo papistico, qui in eo consistit, quòd *ex opere operato*, seu vi ipsius actionis Sacramentalis absque fide, cujus præsentiam quidem, sed tamen sine ullo concursu ad fruitionem salutarem concedunt, *gratiam* efficiunt, nempe *inherentem*, quam unicè urgent, ac sic toto cælo errant, pro concessio sumentes, quod universa Scriptura negat, scilicet nos *inhesivè* justificari, ac gratiam à Sacramentis collatam esse *inherentem* quendam donorum gratuitorum habitum, seu gratiam
tiam

tiam DEI, quæ nos sanctos efficiat, ac omnium divinarum virtutum habitu exornet, *explicante id Catech. Rom. jussu Pontif. Pii V. edito l. 2. de Sacram. p. 117.* Iesu tali, qui in oblatione justitiæ Christi, per quam justificamur, jus accipientes ad vitam æternam, se exerit, quam justitiam Sacramenta non operantur, sed offerunt, ut est per fidem imputabilis, & fide apprehensam conferunt, applicant, ob-
signant.

§. 18. Sic baptismus dicitur *σῶζεν ἡμᾶς* per resurrectionem Jesu Christi *I. Pet. III, 21.* vel Deus nos salvos facere dicitur ex suâ misericordiâ *διὰ λόγους πολλῶν γενεσῶν, Tit. III, 5.*

§. 19. Sic in Sacra Cœnâ ex manducatione corporis, & bibitione sanguinis Christi dicitur nobis obtingere Remissio peccatorum, & sic etiam Salus. *Ista enim esca, quam accipis, iste panis vivus, qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam ministrat, & quicumq; hunc panem manducaverit homo, non morietur in æternum,* inquit Ambros. *c. 8. de iis, qui initiantur mysteriis.*

§. 20. Et hunc ipsum conferendæ gratiæ & Salutis modum, qui supra fuit indigitatus, habuerunt etiam Sacramenta V. T. utut typicè saltem, & figuratè signaverint Corpus & Sanguinem Christi. signantibus econtrâ eadem, Sacramentis N. T. tanquam præsentia, quo nomine & ab Augustino dicuntur *majora virtute, & meliore utilitate l. 19. contra Faust. c. 13.* Videantur dicta; & de Circumcisione quidem, *Gen. XVII, 7. 14. Rom. IV, 11.* de agno paschali, qui typus fuit Christi, pro genere humano mactandi. *Exod. XII, 47. Confer. Sap. XVIII, 19.*

§. 21. *Resp. ad IV.* Sicuti Apologia A. C. Pontificios ignorantia de fide postulat, *art. de justific.* Ita mirum non est, si totam fidei naturam penitè invertunt, eam insuper pro nudo saltem assensu, cunctis fidei articulis præbito habentes; cujus sedes non sit in voluntate, sed in solo intellectu. At verò unicum dictum *Job. I, 12. quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios DEI fieri iis, qui credunt in nomen ejus;* satis superque probat fidem quatenus justificat & salvat, non esse nudam notitiam vel assensum, vel qualitatem inherentem; sed fiducialem apprehensionem Meriti Christi. Ita enim argumentari licebit:

Per quodcunq; fides se exerit, ut credentes accipiant jus, filios DEI fieri, in illo consistit propriè essentia & veritas fidei.

Sed

Sed per actum apprehensionis Christi, ejusque meriti, fides se exerit, ut credentes accipiant jus, filios DEI fieri.

Ergo in apprehensione Christi ejusque meriti consistit essentia & veritas fidei.

§. 22. Proinde fides, in negotio justificationis & salvationis se exerit tanquam *affectus*, quo homo fidelis adhæret *bono* sibi *oblato*, vel jam à se *obtentio*, nempe salutis spirituali, seu gratiæ; vel *obtinendo*, videlicet salutis æternæ: vel etiam *causa*, istius boni, sive *efficienti principali*, quæ est Sacrosancta Trinitas; sive *impulsivæ*, DEI scilicet gratiæ & misericordiæ; sive *meritoria*, nempe obedientiæ Christi, pro nobis præstitæ Vid. B. Höpfn. *disp. IX, de Justif. contra Meierum.*

§. 23. Et per hanc, & non per aliam à Pontificiorum scholâ confictam fidem, V. & N. T. credentes pariter salvati sunt. Habuerunt enim eam illi positam in Christum, cui adhæsere mente & corde, ejusque *meritum* apprehenderunt, ut tunc temporis adhuc *prestandum*. Hi æquè acquievère in eodem Christi merito, prout *actu præstitum* fuit. Utrique autem certi fuerunt, scilicet per & propter Christum se obtinuisse, & adhuc obtenturos esse, partim salutem gratiæ, partim gloriæ, non ad tempus in *Limbo* aliquo, de quo ne *yeu* quidem Scriptura novit, detenti, ut Pontificiorum turba de Patribus V. T. narrat, vel hoc ipso modo Modum salvandi diversum fabulata; Nec in N. T. detrusi in *Purgatorium*, quod eundem cum inferno ignem alere ajunt, citiùs tamen animas, Missis putà, jejuniis, vigiliis, Monachorumque operibus Supererogationis, & inprimis Jesuitarum intercessionibus, quibus cum Plutone quodam, purgatorii Domino, procul dubio optimè convenit, adjutas dimittens, quàm labyrinthus Lutheranæ Reformationis Brunonem quendam Lindnern, in quem imprudens ipse se conjecerat, liberiori aëri restituit.

Classis II.

Calvinianorum.

§. I.

Videntur equidem hi, prout in fundamento fidei, si Diis placet, eum Ecclesiâ Lutheranâ conveniunt, à sanâ doctrinâ, *Modum salvandi* credentes in V. & N. T. concernente, parum, vel nihil recedere; Abrahamum enim & omnes fideles V. T. non aliâ fide, quàm nos fuisse justificatos, mortem quoque testatoris Christi, sub V. T. ad remissionem

nem

nem peccatorum, justificationem & salutem consequendam validam fuisse. Patres igitur fide mortis Christi exhibendi esse justificatos, nos fide meriti Christi exhibiti justificari. Vid. Paræus Comm. in c. V. ad Rom. p. 539, 540. Confer Judicia Theol. Provinc. Syn. Dordrac. exhib. antith. 2 p. 5. contra Rem: ubi electionem eandem & unicam V. & N. T. statuunt; Verùm re ad Solis mensuram expositâ, nimium quantum à Nostratum sententia dissident hæ vulpeculæ.

§. 2. Zvingliani, cum Pontificiis & Socinianis, Philosophos & alios sapientiores Gentiles, solâ lege naturæ salvari potuisse, existimant; hinc eorum Antesignanus rom. 2. oper. fol. 559. in expositione fidei Christianæ; Herculem, Theseum, Aristidem; tanquam beatæ vitæ incolas, compellat; refutandus vel hoc unico, quod impossibile sit, sine fide in Christum placere Deo Hebr. XI, 6.

§. 3. Quamvis autem huic Zvinglii placito non omnes subscribant Reformati, in eo tamen communiter conveniunt, infantes [loquimur de infantibus in gremio Ecclesiæ natis vel baptizatis, vel etiam baptismo privatis, vel ante baptismum demortuis, quid enim nostrâ refert de iis, qui foris sunt, judicare I. Cor. V, 12.] aut nullam fidem habere, aut saltem semen quoddam fidei, seu donum fidei simile, seu inclinationem ad fidem; quâ stante hypothesi, inferri aliter non potest, quàm infantes, si modo ex electorum numero sint [nam quosdam etiam ex his baptizatos quoque, in infantiâ decedentes, in numerum Reprobatorum adscribere non verentur iniqui Infantium Censores. Vid. Zanchius l. 4. de nat. DEI c. 6. Paræus in XI. Cap. Rom.] alio modo salvari, quàm adultos, quod quidem Pontificiorum turba similiter statuit sed habitualem tamen fidem infantibus concedit, si non actualem. Verùm utraque pars meritò suò rejicitur, cum Scriptura nec fidem habitualem, nec inclinationem ad fidem, aut simile quid infantibus tribuat, sed fidem veram, qua ipso actu in Christum credunt & salvantur. Matth. XIX, 16. Marci IX, 37. I. Joh. II, 14.

§. 4. Sic error est fundamentalis, quem errant Calviniani circa salvandi modum, dum Electionem sive ante, sive post lapsum absolutè, nullâ habitâ ratione fidei in Christum, factam fuisse docent. Licet enim nonnulli moderatiores, ut videri volunt, Christum decreto electionis includant, addunt tamen, ut executorem electionis, non ut causam ejus meritariam; ab electionis enim decreto tam pendere Christi meritum, quàm salutem electorum Vid. Theolog. Leidenses Disput. 24. th. 29. Wenedel. Syst. Maj. L. I. c. 3. th. 12. Licet etiam Contra Remonstrantes in Belgio

F

aliquid

aliquid dixisse videri velint, quando inter fidem prævisam, & fidem actu præsentem distinguunt, & hanc in executione electionis adesse oportere concedant; negant tamen sive hanc, sive illam in decreto electionis locum habere posse, quod Electionis rationem DEUS in se solo habuerit, beneplacitum nempe voluntatis suæ. *Wendel. d. l. Vid. Act. Synod. Dor-drac. p. 211. 212, Armin. in Exam. thesium Gomari de Prædest. th. 18. p. 61. seq.*

§. 5. Alium modum electionis ab æterno factæ, & hanc in tempore secutæ salvationis, DEUS in Verbo suo manifestavit, quem Patres V. T. & nos cum ipso amplectimur. Nimirum sicuti per gratiam Jesu Christi nos salvari credimus; ita etiam per gratiam Jesu Christi, nos electos esse statuimus. Neque enim aliter nos salvat Deus, quàm ab æterno constituit. At salvat nos fide per gratiam Jesu Christi, quod ne ipsi quidem adversarii negare ausint: Ergò etiam nos sic elegit. Ac proinde Christus aliter, ac Calviniani volunt, decretum ingreditur electionis, non ut executor ejus decreti, sed ut causa promerens, & movens Deum, ut sub intuitu fidei, quosdam homines elegerit ex merâ gratiâ. Unde Paulus *Eph. I, 3. 4. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis, in omni benedictione Spirituali, in supracælestibus, in Christo, sicut nos elegit in Ipso ante jacta mundi fundamenta.* Quid est, elegit in Christo? utiq; propter Christum ejusq; meritum. Ergò Christus non potest non esse & dici causa meritoria electionis. Absolum enim foret, concedere, Christum esse causam *decreta salutis*, non verò *electionis*. Quid enim aliud est electio, quàm decretum de salute danda? Datur autem salus per fidem, *qui crediderit, salvabitur Marc. XVI, 16.* Ergò etiam fide, seu intuitu fidei, factum est illud decretum. *Confer. II. Theß. II, 13. Jac. II, 5.* Sed Calvinianis facile est, totum rerum ordinem invertere, ut Helenam suam, absolutum nempe decretum, toti mûdo amplectendâ prostituant.

§. 6. Sic quantum in ipsis est, infringunt adversarii Modum salvandi, omnem efficaciam tam Verbo Dei prædicato, quàm Sacramentis & V. & N. T. denegantes, ac si ne tantillum divinæ virtutis, ut *Beza* expressè loquitur *part. 2. respons. ad Colloqu. Mompel. p. 116.* hominibus renovandis, & æternâ vitâ in Christum servandis tribuendum sit, contra expressa Scripturæ dicta, suprà contra Pontificios allegata; quibus stantibus, tam Verbo prædicato, quàm Sacramentis manet sua laus & virtus, quod scilicet sint media salutis, offerentia remissionem peccatorum, vitam & justitiam; & alia per Christum nobis parta bona, quæ Patribus in V. T. per ista

media

media non minus oblata & collata sunt, [non adumbratim, sed realiter] quàm nobis in Novo.

§. 7. Quod enim futura bona attinet, quorum umbram lex obtinuit *Hebr. X, 1. Col. II, 17.* intelligenda sunt illa non de gratia Dei, nec de remissione peccatorum, justitiâ, spe salutis æternæ, & salute ipsâ; sed de Christi incarnatione, nativitate, passione, morte, resurrectione, in cœlum ascensione: Hæc μέλλοντα ἀγαθὰ præstolati sunt Patres, donec impleantur; non illa, quæ ipsi præsentissima habuerunt, non minus, ac nos habemus.

§. 8. Quæcumq; igitur Patribus V. T. per Sacramenta sui temporis oblata, collata & applicata sunt gratiæ bona, ea multò magis nobis offeruntur, conferuntur & applicantur per Sacramenta N. T. quippe quorum præ illis melior est ratio, cum corpus & sanguinem Christi non tanquam absentia, sed realissimè præsentia signent & simul exhibeant. Falsum enim est, & ipsi fundamento salutis adversum, evertens illud, quantum potest, quando adversarii Sacramentis N. T. & in primis S. Cœnæ Substantialem, ratione objecti non modi sic dictam, præsentiam corporis & sanguinis Christi Ἰουδαῖοι denegant, ad analogiam suam significativam, tanquam ad sacram quandam anchoram confugientes, ac si nulla alia, sive in V. sive in N. T. Sacramentis detur præsentia, quàm representativa & effectiva, de quâ tot annos, invita veritate, reclamantibus sacris literis, cum maximo Ecclesiæ scandalo sunt digladiati. At in V. T. Patribus per Verbum promissionis & Sacramenta, quin etiam per Sacrificia, quatenus typi Sacrificii Christi, ἑθελαι ἰσοδείγματα καὶ σικαὶ cœlestium & futurorum bonorum fuerunt; oblata, collata, applicata & dispensata sunt gratiæ bona videlicet *Gen. XVII, 10. Rom. IV, 10. 11. Exod. XII, 5. seqq. I. Cor. V, 7. Levit. XVII, 11.* quo posteriori loco sanguis victimarum dicitur expiâsse peccata, mysticè nempe, seu quatenus typus sanguinis Christi fuit, per cujus effusionem nos cum Deo reconciliati sumus *Ebr. IX, 13. 14. Col. I, 20.*

Ergò per Sacramenta N. T. multò magis ista gratiæ bona offeruntur, conferuntur, applicantur, dispensantur & obsignantur. Quandoquidem non umbras; sed id, quod in V. T. adumbratū fuit, præstantissimū habuerunt.

Pulchrè Augustinus *L. 1. de peccator. merit. c. 24.* Optimè Punici Christiani baptismum ipsam nihil aliud, quàm salutem; & Sacramentum corporis Christi, nihil aliud, quàm vitam vocant. Unde ex antiquâ & Apostolicâ traditione tenent, præter baptismum & participationem mensæ Dominicæ,

*non solum non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam eternam posse
quenquam hominem venire.*

Clasfis III.

Photinianorum & Arminianorum.

§. 1.

AGmen hi ducunt hodiè inter eos, qui Patribus V. T. alium atq; nobis
attribuunt salvandi modum, secuti vestigia Pelagianorum, vel etiam
eorum, qui amplexi sententiam Eliæ cujusdam, *de quo Galat. l. 4. c. 40. de
arcanis Rel. Cathol. videatur*, duo millia inanitatis, duo millia Legis &
duo millia dierum Mesfiæ statuunt. Sic Socinus, Smalzius, Ostorodus,
Catech. Rakoviensis sententiam suam hac de re rogati rotundè respon-
dent: Deum à Patribus, qui ante Christum natum vixerunt, fidem in Chri-
stum non requisivisse, nec illos fide in Christum, sed solâ mandatorum
divinorum obedientiâ salvatos fuisse. A quibus quanto intervallo di-
stent hoc nomine Arminiani, exinde patet, quòd ad fidem justificantem
cognitionem Jesu Christi necessariò requiri negant. Sicuti etiam infi-
cias eunt, fidem justificantem certam esse fiduciam remisit propter Chri-
stum peccati, cujus formam non in apprehensione meriti Christi, sed ob-
servatione mandatorum à Christo in N. T. profectorum ponunt. *Vid.
Ipsorum Confessio c. XI. hujusq; Apol. p. 110, 111. seq.*

§. 2. Blasphemia dogmata, quæ bini fratres Johannes & Petrus Geyste-
rani, in Synodo Dordracenâ etiam de hoc puncto proferre non sunt ve-
riti; quæ quidem Acta Synodi ab omnibus cum summâ detestatione re-
jecta atque improbata fuisse referunt, quod autores Ipsorum sub nomine
Remonstrantium & sub prætextu V. articulorum horrendas & execran-
das Socini & Anabaptistarum blasphemias fovisse, & in Ecclesias suas in-
troducere conatos fuisse, deprehenderentur. Verùm utrum Synodus
Socinianos, an Arminianos, an utrosque unâ cum istis blasphemis reje-
cerit, loquatur sive infans cum balneo ejectus, sive balneator ipse. *Vid.
Acta Synodi sess. 138. p. 386. seqq.*

§. 3. Arminiani equidem noluêre Socinianis anathema dici ob negatam
Trinitatem vel etiam Divinitatem Mesfiæ & Spiritus S., prætendentes,
dogma hoc non esse Scripturæ aut Ecclesiæ, it. non esse dogma necessa-
rium aut utile; nec in Ecclesia V. T., quin nec in primâ ætate Ecclesiarum
N. T. creditum, sed potiùs ignoratum & silentio involutum. *Vid. præf. A-
pol. Remonstr. it. Vedel. Rhaps. p. 37, 40. Respons. ad excepta Theol. Leidens.
p. 41. Quæ sanè omnia idenditatem Modi Salvandi tollunt.*

§. 4.

§. 4. Opponimus nos clarissimum Scripturæ S. jubar, tam V. quàm N.T. credentibus exortum. Nam & Abraham, omnium credentium, seu præputiatorum, seu circumcisorum pater, diem Messiaë vidit, & gavisus est; vidit & credidit; credidit, & reputatum est illi ad justitiam; hoc est, solâ justitiâ imputatâ, sine alterâ inhæsiâ, seu inchoatâ, quæ est novæ obedientiæ, justificatus est: credidit, & solâ fide in Christum sine operibus salvatus est. *Rom. IV, 3. seqq.* Quo ipso in loco quando additur: *Non est hoc scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam, sed etiam propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Dominum nostrum Jesum Christum;* tunc denuò omni jure inferendum est:

Quibuscunq; nõ secus, ac Abrahamo, reputatur fides sine operibus ad justitiam; illi eodem prorsus modo justificantur & salvantur.

Atqui credentibus tam V. quàm N.T. non secus ac Abrahamo, reputatur fides sine operibus ad justitiam.

Ergò credentes tam V. quàm N.T. eodem prorsus modo justificantur & salvantur.

Qui antea fide in Christum salvantur; seu quibus fides sua in Christum reputata est in justitiam; illis doctrina Christi *θεσβρωπια* ejusque meritum revelatum fuerit oportet. Quomodo enim crediderint, quod nesciverunt, seu de quo non audiverunt? *Rom. X, 14.* Præsupponenda est utique notitia objecti, si subjectum ipsi adhærescere debet, cum ignoti sit nulla cupido, nedum *πρῶτον ἀνοησις* sive adhæsiō. Sed quid juvat faciem accendere adulto sole? *Vid. Dial. Apol. B. Hülsem. & B. Welleri Wegweiser der Gottheit Jesu Christi. it. Fevverbornii Anti-Ostor. Disp. 6. usque ad 20.*

§. 5. Titivillitio minus est, quò Photiniani textui nostro tenebras offundere conantur, prætexentes: Petrum non de Patribus V.T. sed de Ethnicis fidelibus loqui, quos per gratiam Jesu Christi salvatos esse dicat; addatq; nos quoque per eandem gratiam d.l. salvatum iri, ut sensus sit: *Credimus, non tantum Judæos in Christum jam manifestatum credentes, sed etiam gentiles, in Jesum Christum credentes, gratiâ Jesu Christi ex æquo salvari, vel, sicuti gentiles per gratiam Christi salvantur: ita & nos Judæi pari modo salvari credimus.* *Vid. Catechism. Rakov. d. offic. Christi prophet. c. 11. p. 307. 308. Smalz. disp. 4. contra Franzium th. 23. disp. 6. th. 99. seq.*

§. 6. Verùm hanc explicationem vel sola refutat grammatica, relati-

vum ἐκείνοι, non ad τὰ ἔθνη, sed ad τὰς πατέρας referendū esse censens. Tum verò συνέπεια seu verborum contextus, quin & scopus Apostoli aliud non permittit, ut, quod volunt adversarii, concedatur. Vult enim Petrus demonstrare, non adigendos esse Ethnicos ad susceptionem Circumcisionis, nec ad totius legis Mosaicæ observationem, sub conditione acquirendæ salutis. Hoc probat duabus rationibus, quarum primam desumit ab exemplo earum gentium, quibus DEUS jamjam dederat Spiritum S. nullo habito discrimine inter eas & Judæos, ἢ π. 54 καὶ 55 καὶ 56 καὶ 57 καὶ 58 καὶ 59, v. 8. 9. Alteram verò, à jugo legis portatu impossibili, ac proinde etiam insufficienti & invalido ad æternam salutem conferendam, vel ut hæc per illud acquiratur. *Neq; nostri Patres, neq; nos per legem, jugum illud intolerabile, salvari potuimus. Ergò non est imponendum gentibus; Ergò nec Judæi in illo vel vitam vel requiem invenire poterunt. Quid ergò tandem? Per gratiam Domini nostri Jesu Christi, credimus, nos servatum iri, καὶ ὅν ἴσθον καὶ κείνοι sc. πατέρες.*

§. 7. Quod si quis spiritu vel Photiniano, vel Arminiano afflatus exciperet, per Patres fortè intelligi posse Abrahamum cum posteris, quia huic demum facta est promissio de Messia; de Patribus verò ante Abrahamum rem tam claram non esse, cum de Messia quidquam scivisse vix videantur. Si enim ipsis vel hilum revelatum fuisset, procul dubio in novo fœdere extaret repetitum. Sed cum omnis Scriptura hac de re taceat; aliter statuendum non esse, quàm Patres illos ignorasse hoc mysterium. Huic reponimus Prot-evangelium de semine mulieris serpentinum caput aggressuro & contrituro; quod ipsum quomodo intelligendum sit, evolvenda sunt dicta N. T. quæ serpentis istius antiqui faciunt mentionem, cujus molimina & opera Messias, ceu semen mulieris benedictum, olim destructurus erat, nunc re ipsa passione suâ & morte destruxit, I. Job. III, 8. Conf. Job. XIV, 30. II. Cor. XI, 3. Apoc. XII, 9.

Classis IV.

Anabaptistarum, Swenckfeldianorum, Weigelianorum.

§. I.

Congruunt suo more hi græves fere inter se, quando V. T. Patribus bona spiritualia & æterna, [qui idem error Photinianorum & Arminianorum est] promissa fuisse, negant. Unde mirum quoque non est, si iisdem patribus, aut alium, aut nullum salvandi modum adscribere non erubescunt.

bescunt. *Anabaptistæ* putant, eos, qui in V. T. vixere, per Christum non esse redemptos, nedum in cœlum admissos, antequam Filius DEI incarnatus fuit. Quod totidem verbis *Syvenckfeldiani* repetunt, prout apud ipsum *Syvenckfeld. Epist. 95.* videre licet, ubi Patres in sinu Abrahamæ jugi spe detenti, nec ante, quàm omnia in cruce à Christo consummata fuerunt, in cœlestem gloriam admissi fuisse dicuntur. *Arminius art. X. inter art. in vulgus sparsos,* dubius hæret, quid de limbo patrum sentiendum sit, inclinatur tamen in Pontificiorum sententiam arbitratus, *sanctis ingressum in cœlum non patuisse prius, quàm Christus gloriosè in cœlos assumptus fuerit.* Contendunt insuper & *Weigeliani* & *Anabaptistæ* & *Sociniani,* dormire animas piorum in diem usque judicii, nec ullas exercere actiones, nec intelligere, nec sentire, nec ullâ eos voluptate frui. Contra quam *Psychopannichiam* etiam *Calvinus* librum scripsit, quo ex *Anabaptistarum* *scatebris* eam profluxisse, & nonnullis bonis viris de hoc somno aliquid in animum instillatum fuisse, testatur.

§. 2. Nos sicuti erroneo huic dogmati de dormitione animarum opponimus verba Salvatoris, *Matth. XXII, 29. seq. Erratis, neque Scripturam scientes, neque potentiam DEI. Nonne legistis, quod vobis dictum est à Deo: Ego sum DEUS Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus non est Deus mortuorum, sed viventium:* Ita Patres V. T. easdem promissiones de vitâ aternâ habuisse, inq; eam non secus, ac credentes N. T. receptos fuisse ab eo, quo mortui sunt, momento, constanter asserimus, confisi veritati dictorum, *Act. X, 43. II. Cor. I, 20, Hebr. IV. 3. Job. VIII, 56.*

§. 3. DEUS enim ipsorum Deus fuit; habitavit in eis; ambulavit inter ipsos: Ipsi verò fuerunt ejus populus *Lev. XXII, 11. 12. II. Cor. VI, 16.* qui non inhiârunt rebus terrenis & caducis, sed spiritualibus cœlestibus & aternis, prout non tantùm de *Mose* dicitur *Hebr. XI, 26.* quòd majores divitias duxerit opprobrium Christi, quàm *Ægyptiorum* thesauros. ἐνέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν; Sed etiam de *Abrahamo*, *Isaaco* & *Jacobo*, quòd commorati sint in terrâ promissionis, tanquam alienâ, expectantes τὴν ἰδέσθαι τῆς θραυμῆς ἔχουσαν πόλιν, ἧς τεχνίτης καὶ ὀδομηγὸς ὁ Θεός *v. 9, 10. I. all.* Ea civitas autem *Hebr. XII, 12.* nominatur πόλις θεῶν ζώντων, *Hierosolyma Cœlestis, Conf. Gal. IV, 26. Apoc. III, 12. XXI, 2. 20.*

§. 4. Pulchrum est quòd mater *Messia* DEUM prædicat recordatum misericordiæ suæ, fecisse, sicut promiserat; sicut locutus est, inquit, ad Patres nostros *Luc. I, 55.* Quid verò locutus est? certè Verbum promissionis

tionis de mittendo Messia & beneficiis per ipsum exhibendis, uti *Salme-
ron Jesuita tom. 2. tr. 15. p. 126.* rectè explicat demonstrans, per omnia an-
tecedentia secula s. ætates, ab Adamo, usq; ad adventum Christi in car-
nem promissiones illas esse repetitas. Si autem repetitæ sunt promis-
siones, si toties ad patres locutus est DEUS, num illi has promissiones
non intellexisse dicendi erunt? Quod si intellexerunt, annon fide eas
receperunt vel sibi applicarunt? Si applicarunt, num spe suâ falsi sunt?
Absit. Quin potiùs salvati sunt, ut nos salvamur.


§. 5. Equidem in hoc nos in N. T. triumphamus meritò, quòd spes
nostra sit *ἡ ἐλπίς* Hebr. VII, 7. quòd promissiones sint *ἡ ἐλπίς* *ἡ ἐλπίς*, nempe
non tantùm ratione *evidentiæ & multitudinis*, vel *majoris quoque gratiæ
& facilitatis*, ad eas reportandas, vel acquirendas, Rom. X, 6, 7, 8. sed
etiam respectu *presentiæ Christi*, quem novimus, jam dudum venisse, qui
olim à Patribus expectandus erat Luc. X, 24. Veruntamen tam arrogan-
tes non sumus, ut has ipsas promissiones, à Patrum promissionibus V. T.
specie differre arbitremur; Graduum ista differentia fuit, non specierum:
Meliores dicuntur promissiones in eadem, non verò *diversa specie* *ἡ ἐλπίς*
ἡ ἐλπίς dicuntur, non *διαφορώτερον* Hebr. II, 7. Conf. B. Hülsm. diatr. Schol.
de auxil. grat. p. 52.


§. 6. Nihil ergò hoc ad limbum, Patrum, vel Abrahæ sinum falsò in-
tellectum, vel aliud ejusmodi receptaculum, ubi Patrum animæ in V. T.
usque ad Christi adventum delituerint. Nihil ad Psychopannichian sive
in V. sive N. T. introductam. *Salvati sunt Patres ab initio mundi, salvati
sunt fide, sine operibus, per gratiam Jesu Christi, recepti in cælum, in Para-
disum, in vitam æternam, ita ut meritò concludamus, Credimus &
nos per gratiam JESU CHRISTI salvatum
iri, quemadmodum & illi, beatam spem & adventum
gloriæ Magni DEI expectantes.*

F I N I S.

Errata Typogr. insigniora ita corrigi possunt.

Aphor. 4. §. 4. pro *distinctas* lege *distincta*. §. 17. post cæterum adde *nee*. §. 18. pro
successivè lege *successere*. Aphor. 6. §. 2. post *proficisci potest*, adde *sub peccato concluder-
et, seu ut homines*. §. 13. pro *eam* lege *eam*. in Class. 2. §. 8. pro *præstantissimum* lege
præsentissimum, in Class. 3. §. 6. del. *aliud & pro* concedatur lege *concedi possit*. in
Class. 4. pro *ἡ ἐλπίς* lege *ἡ ἐλπίς*.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

REVERENDISSIMO
EM
T. Salvandi
D U S
auctoritate
acult. Theologicae
nia Lipsiensi
DOCTORALI
solymis celebrato
vers. II.
ctus
Schmanner Belge-
& Superint. Weissenfels,
ugusti Inspectore.
M. DC. LXVI.

